Hayduck, Waldemar
De Spinozae natura
naturante et natura naturata

DE

SPINOZAE NATURA NATURANTE ET NATURA NATURATA.

DISSERTATIO

INAUGURALIS METAPHYSICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE VIADRINA

VRATISLAVIENSI

UNA CUM THESIBUS INFRA ADJECTIS AD SUMMOS IN

PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

DIE XXIII MENSIS JULII A. MDCCCLXVII

HORA IX

IN AULA LEOPOLDINA

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

WALDEMARUS HAYDUCK,

POMERANUS, SUNDANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSTINEBUNT:

GUSTAVUS ENGLICH, PHILOS. DR, AA. LL. M.

ARNOLDUS LANGEN, CAND. PHILOL.

RICHARDUS STEIN, CAND. PHILOS.

VRATISLAVIAE,

TYPIS GRASSI, BARTHII ET SOC. (W. FRIEDRICH).

Sicut lux se ipsam et tenebras manifestat, sic veritas norma sui et falsi est. —

Spinoza. Eth. II. schol. ad prop. 43.

PROOEMIUM.

Postquam Spinozae philosophia ex longa illa, qua per integros centum annos premebatur oblivione, cui quidem per fanaticorum seu calumnias seu ignorantiam tradita erat, tandem revixit, non defuere doctissimi viri, qui in Spinozae systemate explicando strenue ac diligenter versarentur. Ac meruit profecto illorum curam et industriam vir maximus, tum propter ingenii praestantiam et incredibilem mentis aciem admirandus, tum vera vitae probitate et perfectissima sanctimonia insignis. Cujus praeterea doctrina quantum momenti quantamque vim exercuerit in recentiora Fichtii, Schellingii, Hegelii systemata, quorum omnium Spinoza parens et dux facem praeferens merito appellandus est, neminem philosophiae haud ignarum fugere potest.

Quamvis autem Spinozanae doctrinae studium laetissime refloruerit, atque inde universae philosophiae per eruditissimorum labores virorum haud exiguum incrementum additum sit, nonnulla tamen apud Spinozam occurrunt, quae nondum ita sunt explicata, ut unanimo doctorum omnium consensu rata habeantur.

Igitur ex illis Spinozismi partibus, de quibus adhuc inter philosophos disceptatio est, unam mihi elegi aliquanto accuratius considerandam, quo vel hac occasione pro virili parte aliquid conferam, quantulumcunque id demum sit, ut philosophus, qui omnia in intelligendo reponebat, ipse tandem ex omni parte intelligatur. Nec mihi ejusmodi laboris materiam quaerenti diu haerendum fuit. Nam in explicandis illis, quae apud Spinozam de natura naturante et natura naturata inveniuntur, in diversissimas sententias abiere viri docti ita, ut operae pretium esse videatur, rem in universo Spinozismo longe gravissimam diligentius inspicere.

Quo autem universae disputationi clarior lux affundatur, juvat libellum trifariam dividere, ac primo quidem quaestionem instituere de attributorum substantiae realitate extra intellectum, quae quidem quaestio est longe gravissima; deinde progrediendum est ad stabiliendam doctrinam de actuali Esse naturae naturatae, quo peracto, de relatione, quae inter naturam naturantem et naturatam intercedat, paulo accuratius disputabo.

I.

De substantiae attributorum realitate extra intellectum.

1.

Ac primum quidem quod pertinet ad ipsam naturae naturantis notionem, magna et gravissima disceptatio de ea est, et quidem eo gravior, quo ipsa illa notio minus recte applicata totum Spinozae systema perturbat. Imprimis igitur ipsa philosophi verba, quibus notionem illam comprehendit, afferam, quae quidem sunt in Ethices partis primae scholio ad propositionem XXIX, ubi leguntur haec:

„Per naturam naturantem nobis intelligendum est id, quod in se est et per se concipitur, sive talia substantiae attributa, quae aeternam et infinitam essentiam exprimunt, hoc est (per coroll. 1 prop. 14 et coroll. 2 prop. 17) Deus, quatenus ut causa libera consideratur. Per naturatam autem intelligo id omne, quod ex necessitate Dei naturae sive uniuscujusque Dei attributorum sequitur, hoc est, omnes Dei attributorum modos, quatenus considerantur ut res, quae in Deo sunt, et quae sine Deo nec esse nec concipi possunt.“ Hactenus philosophus.

Jam quod pertinet ad primam hujus definitionis partem, in qua de natura naturante agit philosophus, in id accuratius inquirendum est, quod mihi in hac disputatione primo loco expediendum proposui; loquor autem de substantiae attributorum realitate extra intellectum. Quam si negamus, contendentes, attributa substantiae esse tantum in intellectu, eaque nil aliud esse, nisi formas vel modos perceptionis, quibus intellectus secundum leges ipsi insitas substantiam consideret, nemo non satis perspicue videt, et naturae naturantis et naturatae notionem longe aliam esse evasuram, quam si attributorum realitas, vel Esse illorum objectivum extra intellectum affirmetur. Imo non defuere, qui hanc quaestionem longe difficillimam haberent, quod ipse quoque concedo; aliique eam

ipsi Spinozae systemati fatalem dixerunt, ita ut philosopsi de attributis doctrinam cum talo Achillis compararent. At hercule, nos quidem philosophiae nomine nobis gratulamur, quod in tanta multitudine adversariorum nemini usque ad nostram aetatem partes Paridis alterius contigerint, qui ferale vulnus illi Spinozani systematis talo intulerit.

2.

Sed de his postea sermo erit; jam eorum sententiam consideremus, qui attributorum realitatem objectivam extra intellectum negandam esse existimant; quae quidem sententia eo minus aspernanda et temere reprobanda est, quo majore inter philosophos nomine illi gaudent, qui eam protulerunt, quos inter ipse Hegelius est, et praeter eum Erdmannus, Schweglerus, alii.

Et imprimis quidem ipsum Spinozam attributorum realitatem extra intellectum haudquaquam affirmasse ex eo contendunt, quod passim apud philosophum occurrat sententia,[1]) qua apertis ac maxime perspicuis verbis dicatur, in rerum natura, sive extra intellectum, nil dari nisi substantiam ejusque affectiones.

3.

Nec defuere, qui ex ipsa attributi definitione, qualis est apud Spinozam, duplici modo erui posse arbitrarentur, ipsum philosophum attributis substantiae nullam realitatem extra intellectum vindicasse. Est vero definitio attributi haec:[2]) „Per attributum intelligo id, quod intellectus de substantia percipit, tanquam ejusdem essentiam constituens.“ Jam sunt, qui censeant, et ex eo ipso, quod cum notione attributi conjuncta sit a philosopho notio intellectus percipientis, et ex eo, quod per verba „quod intellectus de substantia percipit tanquam ejusdem essentiam constituens“ sine dubio tacite subindicetur aliquod non perceptum, ideoque extra intellectum existens, satis perspicue posse demonstrari, attributa tantum esse in intellectu, nullamque, relate ad substantiam, objectivam habere realitatem.

---

[1]) Eth. I. prop. 5 in dem. Eth. I. prop. 6 coroll. Eth. I prop. 15 in dem. Eth. I. prop. 28 in dem. Eth. I. prop. 30 in dem. epist. 4 etc.

[2]) Eth. I. defin. 4.

Ac de his quidem postea dicendum est, quemadmodum dissertationis ordo poscit; illos vero, qui illam attributi definitionem ita interpretantur, vel potius usque ad absurditatem detorquent, ut dicant, „constituens“ illud, quod in definitione legatur, esse nominativum generis masculini, ac referri debere ad intellectum, illos, inquam, valere jubeo. Quid enim inconsideratius excogitari potest, quam contendere velle, Spinozam docuisse, intellectum humanum constituere substantiae essentiam? Praesertim quum apud philosophum nequaquam desiderentur loci, ex quibus sine controversia patet, illud „constituens“ intellectui demendum et attributis esse vindicandum.[3])

Sed de illis, qui grammaticalibus minutiis Spinozae systema turbare conantur, idem censendum est, quod philosophus ipse olim dixit, quum ejusmodi quaestiones Pharisaeis et otiosis Masorethis relinquendas esse existimaret.[4])

4.

Jam vero redeamus ad enumerandas causas, quibus suam sustinere sententiam student ii, qui substantiae attributa tantum in intellectu esse contendunt. Igitur numerum locorum haud contemnendnm afferunt, quibus philosophum attributa non existere, nisi relate ad percipientem intellectnm, vel, ut brevius dicam, relate ad hominem professum esse affirmant. Nam si dicatur apud Spinozam, quod quidem haud raro fiat, attributum substantiae essentiam „exprimere, explicare“, vel „per attributum idem intelligi, atque per substantiam, nisi quod attributum dicatur respectu intellectus, substantiae certam talem naturam tribuentis,“ vel denique substantiae essentiam „sub attributo considerari, intelligi“, et quae sint ejusmodi alia: neminem non concedere debere, attributis objectivum Esse abrogandum esse, neque ea extra intellectum realiter existere.[5])

---

[3]) Eth. II. prop. 7 schol. Eth. I. defin. 6 etc.

[4]) Spinozae compend. gramm. Hebr. cap. 4.

[5]) Eth. I. prop. 10 schol. Eth. I. prop. 11. Eth. I. prop. 14 in dem. Eth. I. prop. 16 in dem. Eth. I. prop. 19 in dem. Eth. I. prop. 20 in dem. Eth. I. prop. 23 in dem. Eth. II. defin. 1. Eth. II. prop. 5. Eth. II. prop. 6. Eth II. prop. 7 in schol. epistol. 27 (ad Simon. de Vries) in fine etc.

Atque id quidem, quum ex omnibus locis modo allatis, tum potissimum ex illo conjiciunt, qui est in citata Spinozae epistola ad Simonem de Vries, qua manifestissimis verbis profiteri philosophum contendunt, intellectum substantiae certam naturam tribuere. Accedit, quod in eadem epistola exemplis quoque suam de attributis sententiam philosophus explicuit, quae admodum sibi opitulari affirmant illi, qui attributorum realitatem extra intellectum negandam esse existimant. Nam ibi philosophus Jacobo patriarchae duo fuisse nomina docet, alterum Israëlis, Jacobi alterum; jam vero Israëlis verum fuisse patriarchae nomen, et Jacobum eum ideo tantum vocatum esse, quia apprehenso fratris pede ex matris utero prosiluisset; Jacobum enim nil aliud significare, nisi fraterni pedis apprehensorem. Itaque Israëlis nomen esse verum, et ut ita dicam, essentiale, Jacobi contra nomen relate ad homines, illam pedis apprehensionem percipientes, et ab his patriarchae inditum. Eodem plane modo — nam alterum quoque exemplum Spinoza attulit, — id, quod omnes radios lucis sine ulla mutatione reflectat, vere, ac sensu proprio „planum“ esse, idem vero respectu hominis, planum percipientis et intuentis „album“ vocari. Igitur ut comparatio ad finem perducatur, substantiam ad attributa eadem ratione sese habere, atque Israëlis nomen verum ac proprium ad Jacobi nomen, respectu hominum percipientium illi tributum, sive ut plani notionem veram et essentialem ad extrinsecam denominationem albi, ab intuentibus hominibus plano additam.

5.

Atque ut crimen illud omni ex parte fugiam, quo quis dicere posset, me consilio multa silentio pressisse, quae tamen plurimum conferrent ad corroborandam sententiam eorum, qui attributis realitatem extra intellectum demant, reliquas quoque causas omnes, quotquot mihi innotuerunt, jam afferam.

Igitur praeter illud, quod est in Spinozae cogitatis metaphysicis,[6]) quo dicitur: „Ens, quatenus Ens est, per se solum, ut substantia nos non afficit, quare per aliquod attributum explicandum est, a quo tamen non nisi ratione distinguitur,“

---

[6]) cogit. metaphys. cap. 3.

id quoque in ore habent, quod est in Ethica,[7]) quo philosophus distinguit inter substantiam absolute infinitam et substantiam, quatenus attributum habet, quod infinitam et aeternam cogitationis essentiam exprimit.

Quibus verbis luce meridiana clarius demonstrari dicunt, substantiae attributa haudquaquam reale Esse extra intellectum habere, neque ad realem essentiam substantiae pertinere, sed tantum modos vel formas quasdam esse, quibus intellectus substantiam percipiat, quin tamen ulla objectiva certitudo illis vindicanda sit.

6.

Neque in causis modo allatis acquievere hujus sententiae propugnatores, sed alias insuper in aciem produxerunt, optime cognitum habentes, illam de attributorum realitate quaestionem a nulla alia momento et gravitate superari. Igitur novo argumento suam tuentur opinionem, quo ostendunt, Spinozam ipsum docuisse,[8]) substantiam intellectu carere; atqui substantiae tribui tamen ab intellectu humano cogitationem et extensionem, ergo haec attributa non pertinere essentialiter ad substantiam, neque ullam objectivam habere realitatem, sed potius a percipientis hominis intellectu substantiae adscribi, ita quidem, ut attributa nullam nisi subjectivam in humano intellectu habeant existentiam, objectiva vero extra intellectum essentia omnino careant.

7.

Atque idem putant concludi debere ex eo, quod Spinoza pluribus locis satis aperte dixerit, Deum esse Ens absolute indeterminatum, neque essentiam ejus in certo Entis genere consistere, attributa tamen certam essentiam exprimere, adeoque attributa extrinsecus tantum, i. e. per humanum intellectum substantiae attribui, non vero realiter in substantia existere.

8.

Quae sententia ut rata habeatur, ita deinceps evincere studuerunt, ut dicerent, intellectum humanum duas tantum notio-

---

[7]) Eth. I. prop. 32 in dem.

[8]) Eth. I. prop. 31.

nes positivas habere ac realitatem exprimentes, nimirum cogitationem et extensionem; itaque necessario substantiam sub his duobus attributis considerari debere; at hanc necessitatem haudquaquam positam esse in substantiae essentia, sed in intellectus natura; ergo attributa illa esse tantum in intellectu, neque realiter ea extra intellectum in substantia existere. —

9.

Causas attuli, quas illi adhibere solent, qui substantiae attributis realitatem objectivam abrogant. Igitur singulae jam accuratius considerandae sunt, ac, si fieri potest, refutandae; quo peracto, et naturae naturantis notione quam strictissime proposita, facilior erit transitus ad alteram dissertationis partem, in qua de natura naturata agendum esse jam supra indicavi.

10.

Ac primum quidem ex eo, quod toties apud Spinozam legitur, quum dicat, in rerum natura, sive extra intellectum nihil dari praeter substantiam ejusque affectiones, nequaquam concludi potest, attributa esse tantum in intellectu. Nam philosophus ipse dicit,[9]) substantiam „constare" ex infinitis, i. e. infinite multis*) attributis, unde apparet, substantiam idem esse atque attributorum summam, vel substantiam et omnia ejus attributa esse synonyma unius ejusdemque rei. Aut igitur neque substantia neque attributa ejus objectivam realitatem habent, aut, quod quidem rectius est, et substantiae et attributis, ex quibus illa constat, realitas extra intellectum est adjudicanda.

Idem philosophus naturam divinam infinita absolute attributa „habere" contendit;[10]) ergo id, quod substantia habet, non potest illi per humanum intellectum adscribi, vel extrinsecus

---

[9]) Eth. I. defin. 6. Eth. I. prop. 11, prop. 12 etc.

*) Sub infinitis attributis intelligenda esse infinite multa, patet exempli gratia ex epistola sexagesima. Deinde ex eo quoque colligi potest, quod Spinozae vix tautologia illa imputanda esse videatur, qua dixisset, substantiam constare infinitis attributis, quorum unumquodque infinitam essentiam exprimeret.

[10]) Eth. I. prop. 16 in dem. Eth. I. prop. 2.

addi. Quibus si addamus, quod Spinoza aliis quoque locis compluribus identitatem non quidem duorum attributorum cum substantia, sed omnium, i. e. infinite multorum cum illa apertis ac perspicuis verbis indicat, fieri jam vix poterit, ut illa philosophi sententia, qua in rerum natura nihil dari dixit, praeter substantiam ejusque affectiones quasi argumento quodam utamur, quo attributorum realitatem extra intellectum in dubium vocare conemur. Quid enim magis perspicuum esse potest, quam id, quod est in Ethicae[11]) initio, ubi philosophus, nil, inquit, extra intellectum datur praeter substantias, sive, quod idem est, earum attributa, earumque affectiones? Cui alii praeterea loci ejusdem generis accedunt, ut exempli gratia ille,[12]) quo dicitur, Deum, sive omnia ejus attributa esse aeterna. Unde lucidissime patet non solum illa, de qua jam antea dicebatur, identitas substantiae et attributorum ejus, sed etiam constat, attributis vindicandam esse realitatem extra intellectum; nam, ipso philosopho teste,[13]) aeternitas idem est atque ipsa existentia; atqui si proponitur, Deum sive omnia ejus attributa esse aeterna, sequitur, attributa eodem plane modo existere atque ipsa substantia existat. Cujus realis existentia quum plurimis argumentis a Spinoza demonstrata sit, attributorum quoque realis existentia iisdem argumentis sustinetur, nullamque justam dubitationem admittere potest. —

Unde primum illud argumentum, adversus attributorum realem existentiam prolatum, irritum atque inane videtur esse. Quid enim moveret philosophum, ut, quotiescunque loqueretur de iis, quae extra intellectum existere doceret, praeter notionem substantiae synonymum quoque ejus, i. e. attributa omnia, expressis verbis indicaret? praesertim quum non desint loci, quibus, ut supra ostendi, vitandi erroris ac maximae perspicuitatis gratia id quoque praestiterit.

11.

Jam igitur ad alia progrediamur. Vidimus antea, ipsam attributi definitionem, a Spinoza propositam, occasionem prae-

---

[11]) Eth. I. prop. 4. in dem.

[12]) Eth. I. prop. 19.

[13]) Eth. I. defin. 8.

buisse multis censendi, attributis realitatem extra intellectum esse abrogandam. Nam si dicatur, „attributum esse illud, quod intellectus de substantia percipiat, tamquam ejusdem essentiam constituens,“ subindicari simul a philosopho aliquod ab intellectu non perceptum, quod ideo realiter extra humanum intellectum existat.

Atque hic non possum satis demirari, qui tandem factum sit, ut hoc argumento multi adversus attributorum realitatem se uti posse crederent. Non enim necesse est, aliquod subindicatum ex illa attributi definitione expiscari, quum plurimis locis apertissime profiteatur philosophus, innumerabilia substantiae attributa ab intellectu humano non percipi. At vero etiamsi ea est humani intellectus conditio et natura, ut ex innumeris substantiae attributis duo tantum percipere queat, ideo contendendum existimabimus, illa duo attributa non realiter in substantia extra intellectum existere? Ac Spinoza quidem Deum definit substantiam constantem infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam essentiam exprimat.[14]) Quodsi unumquodque attributum, quibus substantia constat, aeternam et infinitam essentiam exprimit, duo quoque illa, quae ab humano intellectu percipi possunt, aeternam et infinitam essentiam exprimunt, quamvis in suo genere, adeoque vere ad substantiam pertinent et Esse objectivum extra intellectum habent. Ea enim est conditio intellectus humani, ut duo tantum illa cogitationis et extensionis attributa comprehendere valeat, reliqua innumera haud valeat. Unde ipse Spinoza profitetur,[15]) se haudquaquam omnia Dei attributa intellexisse, sed tantum quaedam se cognoscere. „Non dico — ipsa sunt philosophi verba, — me Deum omnino cognoscere, sed me quaedam ejus attributa, non autem omnia, neque maximam intelligere partem; et certum est, plurimorum ignorantiam quorundam eorum habere notitiam non impedire.“

Ac ne ullus dubitandi locus relinqueretur, allato exemplo suam de attributis sententiam Spinoza accuratius explicuit. Triangulum enim multas habere proprietates, et tamen fieri, ut multi unam tantum ex iis percipiant, scilicet illam, qua an-

[14]) Eth. I. defin. 6.

[15]) epistola 60.

guli trianguli aequentur duobus rectis, alias vero plurimas non intelligant. Jam non video, quo tandem pacto attributis realitas objectiva extra intellectum abjudicari possit, quandoquidem nihil apertius de illorum realitate proferri potuit, quam id, quod modo allatum est. Rem aliquantulum altius repetamus. Deus, sive substantia, a Spinoza aequiparatur triangulo. Jam substantiae attributa ad substantiam eadem ratione sese habent, qua proprietates trianguli se habent ad ipsum triangulum. Porro inter trianguli proprietates ea quoque est, ut anguli ejus duobus rectis aequentur, quae quidem proprietas, sicuti reliquae omnes, quae de triangulo praedicantur, ad ipsam trianguli essentiam pertinet, sive quis eas intelligat, sive non percipiat. Eodem igitur pacto ad veram et realem substantiae essentiam pertinent attributa cogitationis et extensionis, quin per haec duo attributa penitus jam definita atque ex omni parte cognita substantia sit. At neque trianguli plena essentia per veritatem axiomatis de angulis trianguli aequalibus duobus rectis undequaque intellecta est, nam ad trianguli essentiam pertinet exempli causa illud quoque Pythagorae, quo ostenditur, quadratum hypotenusae aequari summae quadratorum cathetarum. Tamen vero, etiamsi innumerae aliae trianguli proprietates forent, quae non intellectae essent, veritas illa de angulis, quae clarissime percepta est, ad trianguli essentiam pertinet et objectivum Esse extra intellectum habet. Neque aliter duo illa cogitationis et extensionis attributa ad essentiam substantiae vere pertinent et objectivam realitatem extra intellectum habent, quamvis plurima praeter illa duo substantiae sint attributa, intellectui humano non percipienda.

12.

His igitur peractis progrediendum est ad reliquas causas, propter quas multi sibi persuaserunt, substantiae attributa e Spinozae sententia realitate extra intellectum carere. Ac dubium quidem injecerunt illis termini quidam, saepius apud Spinozam occurrentes, quum dicat, attributum substantiae essentiam „exprimere, explicare" vel „per attributum idem intelligi, atque per substantiam, nisi quod attributum dicatur respectu intellectus, substantiae certam talem naturam tribuentis", vel denique substantiae essentiam „sub attributo considerari, vel intelligi."

Quae omnia, quantumvis accurate considerata, nullatenus attributorum realitati extra intellectum repugnare videntur. Nam si dicitur, attributum substantiae essentiam explicare vel exprimere, quid aliud est, quam illud, quod antea philosophus dixerat in attributi definitione, qua attributa substantiae essentiam constituere professus erat? Neque adhibitis exprimendi et explicandi terminis aliud voluisse Spinoza existimandus est, nisi id, ut ostenderet, ea ipsa duo attributa, cogitationem, inquam, et extensionem, sola esse, quae humano intellectui percipienda essent, vel, ut aliis verbis utar, quae in infinita illa substantiae attributorum multitudine duo essent sola, substantiae essentiam explicantia relate ad homines, vel substantiae essentiam ad extra, ut ajunt, manifestantia. Igitur in verbis illis non haerendum videtur esse, praesertim quum plurima alia argumenta sint, quae attributorum realitati validissime suffragantur.

Neque id, quod est apud philosophum, nempe attributum dici respectu intellectus, substantiae certam talem naturam tribuentis, vel tantulum valet ad realitatem illam infringendam. Nam praeter id, quod in eadem illa definitione apertis verbis Spinoza dixit, per attributum idem intelligi atque per substantiam, illa, quae antea disputata sunt, quum de exprimendi et explicandi terminis sermo esset, hic quoque valent. Est autem tribuere, quod hoc loco adhibetur, idem atque praedicare, quod quidem et ex illis concedendum est, quae supra dicta sunt de attributorum realitate et ex iis quae deinceps afferenda sunt.

Nam illa Spinozae verba, quae apud eum saepius repetita occurrunt, quibus dicit, substantiae essentiam sub attributo considerari, intelligi et quae sunt ejus generis alia, vix jam nobis moram injicere possunt. Quum enim demonstratum sit substantiam constare innumeris attributis, illamque prorsus esse aequalem attributorum summae, fieri nullo pacto potest, ut substantiam absque attributis consideremus, sed quotiescunque ad illius essentiam intelligendam accedimus, coacti sumus per ipsam substantiae naturam, infinitis attributis constantem, illam sub attributo hoc vel illo considerare vel intelligere.

Neque equidem diffiteor, exempla, quae Spinoza in epistola illa ad Simonem de Vries[16]) attulerit, occasionem praebere

[16]) epistol. 27.

potuisse existimandi, attributa ex ipsius philosophi sententia existere tantum in intellectu et essentiali objectivitate carere. Locum integrum in medium proferre juvat. Igitur philosophus, postquam substantiam et attributum definivit, atque identitatem essentialem utriusque indicavit, ita pergit: „Vis tamen, quod minime opus est, ut exemplo explicem, quomodo una eademque res — de substantia loquitur — duobus nominibus insigniri possit. Sed ne parcus videar, duo adhibebo. Primo dico, per Israëlem intelligi tertium patriarcham, idem per Jacobum intelligo, quod nomen Jacobi ipsi imponebatur propterea, quod fratris calcem apprehenderat. Secundo per planum intelligo id, quod omnes radios lucis sine ulla mutatione reflectit; idem per album intelligo, nisi quod album dicatur respectu hominis, planum intuentis."

Atque hic neminem potest fugere, exempla modo allata minus apte a Spinoza esse proposita, quandoquidem Jacobi nomen per accidens tantum Israëli inditum, nequaquam essentialiter, ut ita dicam, ad eum pertinet, sed merae denominationis extrinsecae instar habendum est; atque eadem prorsus ratione quod omnes radios lucis sine ulla mutatione reflectit, planum est *φύσει*, album vero tantum dicitur *πρὸς ἡμᾶς*. Quod licet concedam, firmiter tamen persuasum habeo, neminem fore censorem adeo iniquum, ut exemplis quibusdam minus apte propositis majorem argumentandi vim adscribere velit, quam auctoritati plurimorum argumentorum, ex quibus sine controversia patet, Spinozam attributis substantiae reale Esse extra intellectum tribuisse, quorum argumentorum pauca quidem jam attuli, plura vero, eaque longe gravissima deinceps proponam. Non possum tamen silentio praeterire, quod non defuerint, qui vel ipsa illa exempla, modo allata ita explicarent, ut nullum inde detrimentum attributorum realitati extra intellectum inferri possit.[17]) Nam eodem modo, quo planitiei et planitas et albedo simul existere possint, quia diversa in ipsa planitie momenta sint, quorum diversitatem necessario sequi debeat subjectivae perceptionis diversitas, eodem quoque pacto substantiam momenta diversa habere, per attributa explicanda ita, ut eadem substantia sub diversis attributis intelligenda vel per-

[17]) Ueberweg, Geschichte d. Philosophie. III. § 9.

cipienda necessario sit. Quae sententia, quamvis maxime placeat, nihilominus non diffitendum est, per exempla illa saltem occasionem praeberi potuisse, qua usi multi attributorum realitatem extra intellectum negarent.

13.

Sed quia nonnulla adhuc restant, quibus nondum obviam factus sum, imprimis refutandi officio defungendum est. Igitur attributa esse solum in intellectu ex eo concluditur, quia in Spinozae cogitatis metaphysicis[18]) aperte dicta sint, quae sequuntur: „Ens, quatenus Ens est, per se solum, ut substantia nos non afficit; quare per aliquod attributum explicandum est, a quo tamen non nisi ratione distinguitur."

Quo in argumento afferendo mirifice viri docti erraverunt. Nam non intellexerunt, ad cognitionem veri et genuini Spinozae systematis nanciscendam cogitata ejus metaphysica omnino non esse adhibenda, siquidem philosophus ipse Ludovico illi Meyerio, cui edenda commisit principia philosophiae Cartesianae more geometrico demonstrata simul cum cogitatis metaphysicis, appendicis instar illis annexis, auctor fuit, publice et perspicuis verbis profitendi, in scriptis illis contineri meras Cartesii sententias et a suis maxime alienas. Nam praeter plurima alia huc spectantia Meyerius,[19]) „quum", inquit, „discipulum suum Cartesii philosophiam docere promisisset (Spinoza), religio ipsi fuit, ab ejus sententia latum unguem discedere, aut quid, quod ejus (Cartesii) dogmatibus non responderet, aut contrarium esset, dictare. Quamobrem judicet nemo, illum (Spinozam) hic aut sua, aut tantum ea, quae probet, docere" et quae sequu. Atque ita quidem Meyerius ipso philosopho auctore.

14.

Neque attributorum realitati extra intellectum illa Spinozae distinctio officit, qua distinguit inter substantiam absolute infinitam et substantiam, quatenus attributum habet, quod infinitam et aeternam cogitationis essentiam exprimit.[20]) Quae quidem

[18]) cogit. metaphys. cap. 3.

[19]) praefat. Lud. Meyerii ad princ. phil. Cartes. mor. geometrico demonstr. et cogit. metaphys. pag. VIII. sequu. ed. Paul.

[20]) Eth. I. prop. 32 in demonstr.

distinctio tantum abest, ut realitati attributorum damnum inferat, ut potius admodum illi opitulari videatur. Nam philosophus recte omnino et apte distingui vult inter substantiam absolute infinitam, i. e. substantiam constantem summa absolute innumerabilium attributorum et inter substantiam infinitam, sed infinitam in suo genere, i. e. unum alterumve substantiae attributum. Quod quidem expressis verbis et omnem dubitationem prorsus excludentibus apud Spinozam ipsum legitur,[21]) quum dicat, naturam divinam absolute infinita attributa habere, quorum etiam unumquodque infinitam essentiam in suo genere exprimat. Quo quidem magis perspicuum nil dici potest. Atque si licet magnis componere parva et exemplo uti, quod philosopho ipsi saepissime placuit, eadem ratione qua illic substantia absolute infinita distinguitur a substantia, quatenus attributum habet, distingui potest inter triangulum, quatenus integer et totus est et generaliter sumitur et inter triangulum, quatenus exempli gratia est triangulus rectangulus vel quatenus consideratur sub proprietate illa, qua anguli ejus aequantur duobus rectis. Nec tamen per ejusmodi distinctionem illa angulorum cum duobus rectis aequalitas desinit essentialiter ad triangulum pertinere et objectivam realitatem extra intellectum habere. Atque eodem pacto si attributum unum alterumve distinguitur a substantia absolute infinita, haudquaquam tollitur attributi objectiva realitas. Igitur ex illa distinctione nil aliud sequitur, nisi id, quod toties inculcat philosophus, nempe non uni alterive attributo absolutam identitatem adscribendam esse cum ipsa substantia absolute infinita, sed potius distinguendum esse hanc inter et singula ejus attributa, quorum non duo vel tria, quamvis essentialiter a substantia non diversa, sed integra et infinita summa substantiae essentiam constituat. Quo vero pacto ex hoc sequi possit, attributa esse tantum in intellectu et objectivo Esse carere, equidem non intelligo. Imo per ipsam illam distinctionem inter substantiam absolute infinitam et substantiam, quatenus sub uno alterove attributo consideretur, idem plane Spinoza dixit, quod antea dixerat, nimirum substantiam constare ex infinitis attributis, quod horum realitati apprime suffragatur.

---

[21]) Eth. I. prop. 16 in demonstr.

15.

Restat, ut pauca dicam de ultimis tribus argumentis, quorum ope attributorum realitas rejici posse putatur. Quorum primum ita se habet: Substantia caret intellectu,[22] atqui substantiae tribuitur cogitatio ab intellectu humano, ergo cogitationis attributum non pertinet essentialiter ad substantiam sed est tantum in intellectu.

Cujus argumenti errorem facile est perspicere. Non enim facta est distinctio inter intellectum et absolutam cogitationem. quae tamen, Spinoza ipso id saepius poscente, accuratissime erant discernenda. Nam intellectus quidem ideo non substantiae a philosopho adscribitur, quia intellectus, ut modus attributi absolutae cogitationis, pertinet ad naturam naturatam, quum contra attributum absolutae cogitationis, siquidem unum ex innumeris attributis est, quorum summa substantiae essentiam constituit, ad naturam naturantem referri debet. Quin ipse intellectus infinitus, ut connexus omnium singularum intellectionum e Spinozae sententia[23] ad naturam naturatam pertinet. Qui igitur fiat, ut absolutae cogitationis attributum, infinitum et aeternum, cujus inter innumerabiles modificationes intellectus quoque est, ab hoc intellectu substantiae adscribatur, neve sit, nisi in intellectu? Quod si ratum habeatur, dicendum foret, causam contineri ac produci a causato, vel prius a posteriori, vel majus a minori, siquidem absoluta cogitatio et causa efficiens humani intellectus est et eo prior et amplior. Nam philosopho teste, substantia prior est natura suis affectionibus.[24]

16.

Quod vero ad id pertinet, quod dicunt, Deum, e Spinozae sententia esse Ens absolute indeterminatum, neque essentiam ejus in certo Entis genere consistere, attributa tamen certam essentiam exprimere, adeoque attributa extrinsecus tantum ab intellectu Deo adscribi neque realiter extra intellectum esse posse, id, inquam, facili negotio erroris convinci potest. Ubi enim, quaeso, illud absolute indeterminatum Esse divini Entis

---

[22]) Eth. I. prop. 31. prop. 16 in scholio.
[23]) Eth. I. prop. 31.
[24]) Eth. I. prop. 1.

per attributa determinari a Spinoza dicitur? Nonne potius ipsa attributorum et infinita multitudo et infinitas (ut quantumvis invita latinitate hoc vocabulo cum philosopho utar) optime cum indeterminata essentia substantiae congruit? Nam per duo illa attributa cogitationis et extensionis, quae ab humano intellectu concipi possunt, substantiae essentia non determinatur, testante hoc multoties ipso philosopho, siquidem per ipsum illud, quo dicitur, ex infinita multitudine substantiae attributorum duo tantum percipi, substantiae indeterminatum Esse satis perspicue ostendatur. Huc quoque pertinet locus ille, quem supra attuli ex Spinozae epistola quinquagesima, quem hic non repetam.

17.

Neque denique est, cur ultimo argumento, quo attributorum realitas objectiva everti dicitur, diutius immoremur. Intellectum humanum, ajunt, duas tantum habere notiones reales et positivas, cogitationis scilicet et extensionis; igitur necessarium esse, ut intellectus sub his duobus attributis substantiam consideret, adeoque hanc necessitatem non positam esse in substantiae essentia, sed in intellectus natura, et consequenter attributa illa cogitationis et extensionis non essentialiter ad substantiam pertinere, sed esse tantum in intellectu atque objectivo Esse carere.

Cujus argumenti inventores ad relationem, quae est inter necessitatem modi, quo res percipitur et realem rei ipsius existentiam non recte attenderunt. Quod quidem nullo pacto ferri potest. Imo ipsa necessitas, qua intellectus substantiam sub duobus attributis percipit, praesupponit aliquid reale, quod necessitatis illius causa efficiens esse debet. Atque illud reale ipsa sunt attributa substantiae. Et, ne exemplum desit, fieri nullo modo potest, ut v. gr. quadratum aliter percipiam, quam ut figuram ex quatuor lateribus inter se aequalibus et rectis sub angulis coëuntibus compositam; quae quidem quadrati proprietas causa est necessitatis, quae mihi imponitur, figuram illam demonstrato nulloque alio modo considerandi. Realis igitur existentia rei alicujus ex hoc ipso elucet, quod modo necessario et haudquaquam subjectivo arbitrio subjacente percipienda res est. Itaque etiam substantia, Spinoza auctore, ex innumeris attributis realibus constat, quorum duo tantum ejus-

modi naturam habent, ut ab humano intellectu percipi vel capi possint. Adeoque ex illa necessitate non potest concludi, substantiae attributa objectiva extra intellectum realitate carere.

18.

Postquam demonstrare conatus sum, causas, quas afferre soleant ad realitatem attributis derogandam non sufficere, ulterius progrediamur, et illis argumentis, quae supra in refutatione passim allata sunt, nova quaedam et gravissima addamus, ex ipso Spinoza repetenda, quibus luce clarius ostenditur, substantiae attributa e sententia philosophi realitatem objectivam extra intellectum habere. Jam hic copiam haud contemnendam locorum afferre in promptu est, quibus disertis verbis, et aliam interpretationem nullatenus admittentibus philosophus suum de attributis judicium lucidissime proponit. Nam si dicit,[25]) res particulares nihil esse, nisi Dei attributorum affectiones, sive modos, quibus Dei attributa certo et determinato modo exprimantur, neminem fugere potest, Spinozam absque controversia absolutam identitatem substantiae et summae attributorum ejus docere. Contendit enim multoties, in rerum natura nil dari, praeter substantiam ejusque modificationes, quae sententia, cum priore collata, accuratissime ostendit, substantiam prorsus aequalem esse attributorum summae, adeoque eandem realitatem attributis esse concedendam, quam substantia, sive Deus ipse obtineat. Jam vero Dei realitatem quis negabit? praesertim quum philosophus aperte dixerit,[26]) quo plus realitatis aut Esse unaquaeque res habeat, eo plura attributa ipsi competere. Jam vero substantiae (Deo) innumera attributa competunt,[27]) ergo et substantia est Ens realissimum, et attributa neque a realitate ullo pacto separari possunt, neque a perfectione, siquidem per realitatem et perfectionem idem intelligendum esse ex definitione sexta secundae Ethices partis patet.

Quibus adde quod Spinoza attributis absolutam naturam

---

[25]) Eth. I. prop. 23. coroll.
[26]) Eth. I. prop. 9.
[27]) Eth. I. defin. 6.

vindicat,[28]) quod haudquaquam illi in mentem venire poterat, nisi realitatem objectivam, sive Esse extra intellectum, quod absoluti primaria est conditio, attributis concessisset.

19.

Neque alia quam plurima desunt, quibus attributa esse extra intellectum et realiter ad substantiam pertinere ostenditur. Namque si docet philosophus, attributa per se concipi debere,[29]) procul dubio eandem illis realitatem vindicat, quam substantiae tribuit.[30]) Fieri enim nullo modo potest, ut aliquid per se concipiatur, quod nil aliud esse dicitur, nisi aliquid in subjectivo intellectu positum et ex hujus natura et legibus derivatum. Adeoque attributa quoque non sunt tantum in intellectu, quandoquidem ipse intellectus nil est nisi affectio attributi substantiae, aseitate carens, quum contra attributa, secundum ea, quae modo allata sunt, eandem atque substantia, aseitatem habent.

20.

Aeternitatem quoque attributis addit philosophus,[31]) quam aequalem esse ipsi existentiae, quatenus ex sola rei aeternae definitione necessario sequi concipiatur, asserit.[32]) Quod quamvis ontologico modo, et haud omni ex parte sufficiente ostendat, tamen ipsius sententia nulla alia esse potuit, nisi ut contenderet, attributis aeternitatem atque adeo realem competere existentiam. Unde, Deus, inquit, „sive“ omnia ejus attributa sunt aeterna.

21.

Igitur quae realia, perfecta, aeterna sunt, quae infinitam essentiam exprimunt, quorumque summa substantiam constituit adeo ut substantia synonymi instar habenda sit cum summa omnium attributorum, ea jam non in subjectivo tantum intel-

---

[28]) Eth. I. 21. prop. 23. prop. 28 in demonstr.
[29]) Eth. I. prop. 10.
[30]) Eth. I. defin. 3.
[31]) Eth. I. prop. 19.
[32]) Eth. I. defin. 8.

lectu esse possunt, sed unusquisque concedere debet, Spinoza auctore substantiae attributa Esse objectivum extra intellectum habere, ac vere et realiter in substantia existere. Rem si formula quadam explicare licet, ponamus, substantiam esse = S, attributum cogitationis = C, extensionis = E, reliquorum innumerabilium attributorum summam = x. Itaque

$$S = C + E + x$$

$$\text{vel } S - (C + E + x) = o.$$

22.

Quod etiam inde sequitur, quod, si quis dicere vellet, quod quidem fecere plurimi, attributa esse tantum modos quosdam percipiendi, objectiva realitate carentes, adaequata cognitio Dei sub uno alterove attributo acquiri omnino non posset.

Tamen Spinoza haud uno loco aperte affirmat, adaequatam Dei cognitionem sub uno alterove attributo posse comparari. Nam „cognitio“, inquit,[33]) „aeternae et infinitae essentiae Dei, quam unaquaeque idea involvit, est adaequata et perfecta“; cui propositioni statim adjicit alteram, qua sic loquitur:[34]) „Mens humana adaequatam habet cognitionem aeternae et infinitae essentiae Dei.“ Neque hic necessarium erat philosopho repetere, quod ex antecedentibus patet, nimirum unumquodque attributorum aeternam illam et infinitam Dei essentiam constituere. Jam vero nil unquam magis perspicue dici poterat, ex quo sequeretur objectiva attributorum realitas extra intellectum. Nam adaequata cognitio ea est, qua idea cum objecto suo plane et ex omni parte convenit; atqui si Deus adaequate per unum alterumve attributum cognoscitur, sequitur necessario, attributa realiter in Dei essentia contineri, et extra intellectum existere. Huc pertinent ea quoque, quae de tertio cognitionis genere Spinoza disputavit, quaeque de amore Dei intellectuali docuit, quae quidem omnia lucidissime ostendunt, Deum adaequate posse cognosci, ideoque attributa ad Divinam substantiam realiter esse referenda. Confer praeterea, si placet: Eth. II. prop. 32. prop. 20 in demonstr. Eth. V. prop. 17 in

[33]) Eth. II. prop. 46.

[34]) Eth. II. prop. 47.

demonstr., prop. 25 in demonstr. Eth. II. prop. 40 in schol. 2. Eth. V. prop. 27 in demonstr., prop. 28 in demonstr., prop. 30 in demonstr., prop. 31 in demonstr., prop. 32, prop. 33 epistol. 60 etc.

23.

At ne nunc quidem exhausta est copia argumentorum, quibus objectivum et reale Esse in substantia attributis optimo jure vindicandum est. Nam in epistola quadam ad Oldenburgium data Spinoza satis pellucide, opinor, „Deum“, inquit, „definio esse Ens constans infinitis attributis, quorum unumquodque est infinitum, sive summe perfectum in suo genere.“ Quum vero alias dixerit,[35]) perfectionem esse synoymon realitatis, atque cum hac penitus congruere, in epistola illa apertissime pronuntiatum est, attributa habere realitatem et quidem realitatem summam, i. e. realitatem plane eandem, quae ipsi substantiae tribuenda sit, cujus essentiam attributa constituant. Et quamvis justae dubitationi nullus jam locus relictus esse videatur, tamen stabiliendae veritatis et rei gravitatis causa accuratius adhuc rem exponamus. Tanta est enim argumentorum copia, quibus attributorum objectiva realitas potest demonstrari, ut vix credendum sit, quot viri, caeterum praeclarissimi exstiterint, qui realitatem illam negandam esse existimarent. Cujus rei causas, quantum mihi de his persuasum est, postea paucis indicabo; jam vero in enarrandis argumentis pro attributorum realitate facientibus, pergam.

24.

Igitur philosophus ipse suam sententiam in medium proferat. „Per Dei“, inquit,[36]) „attributa intelligendum est id, quod divinae substantiae essentiam exprimit, hoc est id, quod ad substantiam pertinet; id ipsum, inquam, ipsa attributa involvere debent. Atqui ad naturam substantiae pertinet aeternitas, ergo unumquodque attributorum aeternitatem involvere debet, adeoque omnia sunt aeterna.“ Unde rursus quam maxime perspicue patet, attributa ad substantiam vere pertinere, neque unquam ab ejus essentia avelli et in intellectu tantum humano posse reponi.

---

[35]) Eth. II. defin. 6.

[36]) Eth. I. prop. 19 in demonstr.

25.

Sed omne dubium prorsus evanescit, si considerantur ea, quae apud Spinozam inveniuntur de discrimine intellectum inter et absolutae cogitationis attributum. Rem, antea sermone a primo tantum limine salutatam, hic aliquanto accuratius explicare juvat. Per intellectum — verba sunt philosophi[37]) — non intelligimus absolutam cogitationem, sed certum tantum modum cogitandi, qui modus ab aliis, scilicet cupiditate, amore etc. differt, adeoque per absolutam cogitationem concipi debet; nemque per aliquod Dei attributum, quod aeternam et infinitam cogitationis essentiam exprimit, ita concipi debet, ut sine ipso nec esse, nec concipi possit; ac propterea (intellectus) ad naturam naturatam, non vero naturantem referri debet, ut etiam reliqui modi cogitandi.

Unde cum absoluta necessitate sequitur, fieri omnino non posse, ut intellectus attributa Deo adscribat, sive, quod idem est, ut attributa sint tantum in intellectu ac pro meris formis subjectivae perceptionis habeantur. Contra sequitur, intellectum modum tantum esse absolutae cogitationis, quae quidem unum ex innumeris substantiae attributis est. Qui porro fieret, ut intellectus, qui, ut expressis verbis Spinoza ostendit, aeque ac voluntas, cupiditas etc. nil est, nisi modus vel affectio absolutae cogitationis, hanc ponat, quum tamen, rursum id testante philosopho,[38]) intellectus neque esse, neque concipi possit absque absoluta cogitatione, quae per se concipienda sit? Hanc vero esse attributum Dei aeternum, absolutum et infinitum in suo genere, ad substantiam pertinens ita, ut una cum reliquis attributis essentiam ejus constituat, saepissime, ut vidimus, Spinoza docuit.

An igitur, amabo, dicendum putabimus, intellectum humanum, qui totus quantus ab absoluta cogitatione pendet, et relate ad hanc minimas[39]) tantum affectionis alicujus partes obtinet, intellectum, inquam, qui, siquidem ut affectio attributi

---

[37]) Eth. I. prop. 31 in demonstr.

[38]) epistol. 2. epistol. 4. Eth. I. prop. 10 et in schol. ad hanc propositionem. Eth. II. prop. 6 in demonstr. etc.

[39]) Eth. I. prop. 17 in scholio.

hoc posterior est,[40]) attributa substantiae adscribere ita, ut his realitas objectiva extra intellectum abjudicanda sit?

26.

Denique, ut taceam plurima alia, quae passim apud Spinozam occurrunt, et realitatem objectivam attributorum omnis dubii prorsus expertem esse jubent, praeter id, quod est in Ethica, quo dicit,[41]) nulla ratione dici posse, substantiam extensam, i. e. attributum extensionis, divina natura esse indignam, unum locum, et illum quidem palmarem in medium proferam. Est vero hic locus in epistola,[42]) quam dedit philosophus ad Henricum Oldenburgium, cui ita scribit: Quod ad mentem humanam attinet, eam etiam partem naturae esse censeo; nempe quia statuo, dari etiam in natura potentiam infinitam cogitandi, quae, quatenus infinita, in se continet totam naturam objective, et cujus cogitationes procedunt eodem modo, ac natura ejus, nimirum idearum. Deinde mentem humanam hanc eandem potentiam statuo, non quatenus infinitam et totam naturam percipientem, sed finitam, nempe quatenus tantum humanum corpus percipit, et hac ratione mentem humanam partem cujusdam infiniti intellectus statuo."

Quae verba adeo quidem aperte et perspicue ostendunt, et vere extra intellectum et in natura (substantia, Deo), esse attributum cogitationis, et intellectum humanum non posse id substantiae adscribere, ut ampliori cuidam explicationi loci illius me supersedere posse existimem. —

27.

Aliud vero est, quod silentio praeterire nullo modo possum, nimirum me, si id agere voluissem, haud unum argumentum, attributorum realitati opitulans afferre potuisse, repetendum ex Spinozae tractatu, ante hos sedecim annos a Böhmerio invento, qui liber agit de Deo et homine ejusque felicitate. Sed librum in meum commodum convertere nolui, ne idem crimen incurrerem, cujus ipse illos argui, qui suae de attribu-

[40]) Eth. I. prop. 1. epistol. 4.
[41]) Eth. I. prop. 15 in scholio.
[42]) epistol. 15.

tis sententiae illa, de quibus antea sermo erat, cogitata metaphysica patrocinari voluerunt. Etsi enim tractatus ille de Deo ipsius Spinozae doctrinam contineat, quum contra, ut vidimus, cogitata metaphysica mere sint Cartesiana, et a Spinoza magna ex parte apertis verbis improbata, tamen et tractatus ille tempore longe Ethicam antecedit, neque quemquam fugit, verum et genuinum Spinozismum omnino ex Ethicorum libris repetendum esse. —

28.

Progrederer jam ad instituendam anacephalaeosim eorum, quae hujusque disputata sunt et ad proponendam quam strictissime notionem attributorum ac naturae naturantis, nisi haud alienum a re visum esset, prius aliquantisper subsistere, et considerare, qualis Spinoza et quantum diversus ab illo, qui verus est, evadat, si rata habeatur sententia eorum, qui substantiae attributis Esse objectivum extra intellectum demunt.

Ponamus igitur, substantiae attributa esse tantum in intellectu et haudquaquam essentialiter ad substantiam pertinere. Jam nemo negare potest, inde necessario sequi, Deum sive substantiam, qualis vere in se sit, nullatenus adaequate posse cognosci, et Spinozae imputandum esse subjectivismum, ab illo haud ita longe diversum, quem olim Protagoras sophista professus sit, quum rerum omnium unicum metrum vel canonem vel amussim hominem, i. e. intellectum humanum esse contenderet. Atque quum res omnes Spinoza auctore, nil sint aliud, nisi attributorum modificationes, omnia ad attributa necessario sunt referenda, quae si realitate carere dicamus, omnia prorsus realitate carent et in mera phaenomena subjectiva evanescunt, quorum verum et objectivum Esse nullo pacto cognosci potest. Jam quis est, quaeso, qui contendere velit, Spinozam eum fuisse, qui subjectivismum fere Kantianum ratum habere voluerit? Nonne potius censendum, typum et quasi indolem Spinozismi maximopere esse objectivam, et ab illa subjectivitate quam longissime remotam? Quam Spinozani systematis objectivitatem ejusque genium omnino dogmaticum, quem synthetica quoque methodus, a philosopho adhibita indicat, hic non accuratius ostendam, quando-

quidem neminem, qui Spinozismum vel tantillum cognoscat, fugere potest. Mihi vero praeter rationes supra allatas totius Spinozismi objectivus quoque genius pro argumento est, quo attributorum realitatem objectivam extra intellectum firmissime defendi ac sustineri censeam. —

29.

Transeo nunc ad considerendas illas objectiones, quae non jam adversus realitatem objectivam substantiae attributorum, sed potius contra ipsam de attributis doctrinam in genere factae sunt. Non enim defuere, qui dicerent, Spinozae doctrinam de innumerabilibus attributis nil esse aliud, nisi polytheismum vel etiam atomismum, siquidem singula attributa pariter atque substantia infinita per se concipi debeant; adeoque tolli differentiam attributum inter et substantiam, et auctore Spinoza innumerabilem statui substantiarum multitudinem. Itaque sublato illo discrimine innumeras esse substantias, sive innumerabilia Entia primaria vel atoma, et consequenter Spinozismum re vera esse aut atomismum, aut — ut aliis placet — polytheismum. Quae objectio nisi refutetur, irrita omnia sunt, quae antea proposita sunt, neque prius me officio functum esse arbitrabor, quam objectioni illi obviam factus fuerim.

30.

Ac primo quidem nemo poterit satis mirari, quinam fieri potuerit, ut Spinoza tam manifestae contradictionis argueretur. Qui antea gravissimis argumentis substantiae unitatem demonstraverat, eundem dicunt postea infinitam substantiarum multitudinem docere. Quae contradictio si vere adesset, adeo feriret oculos, ut nemo jam existere posset, qui non jure merito Spinozam ob inconstantiam ac levitatem vilipendendum esse existimaret. Mirum autem, medius fidius, ac plane indignum est, Spinozam, cui si omnia demas, egregium tamen mentis acumen concedere debes, vitii atque erroris ejusmodi velle convincere, qui omnes Orbilios in puerum, *tali modo peccantem* merito plagosos redderet.

Unde etiam criminis illius refutatio magnum negotium non facessit, philosopho ipso disertis verbis sese purgante. Qui in

epistola[43]) ad Henricum Oldenburgium data — qui etiam in Spinozae doctrina polytheismum subodoratus erat,[44]) „secunda," inquit, „propositio non multos Deos facit, sed tantum unum, scilicet constantem infinitis attributis." Loquitur autem de propositione quadam, quam ad Oldenburgium transmiserat, quam videre est in epistola secunda. Idem Spinoza oratione, si fieri potest, adhuc magis perspicua ita loquitur:[45]) „Unumquodque unius substantiae attributum per se concipi debet. Demonstratio: Attributum enim est id, quod intellectus de substantia percipit, tanquam ejus essentiam constituens, adeoque per se concipi debet. Scholion: Ex his apparet, quod, quamvis duo attributa realiter distincta concipiantur, hoc est, unum sine ope alterius, non possumus tamen inde concludere, ipsa duo Entia, sive duas diversas substantias constituere; id enim est de natura substantiae, ut unumquodque ejus attributorum per se concipiatur quandoquidem omnia, quae habet, attributa simul in ipsa semper fuerunt, nec unum ab alio produci potuit, sed unumquodque realitatem, sive Esse substantiae exprimit. Longe ergo abest, ut absurdum sit, uni substantiae plura attributa tribuere, quin nihil in natura clarius, quam quod unumquodque Ens sub aliquo attributo debeat concipi, et quo plus realitatis aut Esse habeat, eo plura attributa, quae et necessitatem, sive aeternitatem et infinitatem exprimunt, habeat; et consequenter nil etiam clarius, quam quod Ens absolute infinitum necessario sit definiendum Ens, quod constat infinitis attributis, quorum unumquodque aeternam et infinitam certam essentiam exprimit." — Atque ita quidem philosophus. Locum autem integrum attuli, quia nihil unquam efficacius et gravius adversus illud seu atomismi seu polytheismi crimen proferri potuit. —

31.

Jam igitur videamus, quomodo infinita attributa ad substantiam sese habeant et quaenam sit singulorum relatio ad substantiam. Atque id, ni fallor, ex ipso Spinoza jam antea

[43]) ep. 4.
[44]) ep. 3.
[45]) Eth. I. prop. 10 in dem. et schol.

didicimus, attributorum summam unum idemque esse atque substantiam ipsam, sive substantiam constare ex infinitis attributis. Jam quaeritur, qui fieri possit, ut attributa, quorum unumquodque infinitum et aeternum et per se concipiendum esse Spinoza docet, omnino possint existere, siquidem absurdum videtur, innumerabiles infinitates simul coëxistentes statuere. Atque hic quidem bene animadvertendum est id, quod philosophus saepius inculcat, nimirum singulorum attributorum infinitatem esse infinitatem in suo genere, neque plane absolutam. Id igitur, quod singula attributa commune inter se habent, in eo positum est, ut aeque omnes ad substantiam pertinant et, quoad substantiam, omnino non differant. Quod ipse Spinoza allato exemplo egregie sustinet, quum dicat,[46]) circulum in natura existentam et ideam circuli existentis, quae etiam in Deo (natura, substantia) sit, unam eandemque esse rem, quae per diversa attributa explicetur. Unde patet, cogitationem et extensionem et reliqua attributa omnia substantialiter haudquaquam esse discernenda, sed ea, quatenus ad substantiam pertineant, in qua, Spinoza teste, simul semper fuerint, esse omnino aequalia.

32.

Jam inquirendum est in id, quo attributa inter se sint diversa. Docet Spinoza,[47]) Dei essentiam idem esse atque Dei potentiam, quae quidem Dei potentia sit actuosa adeo,[48]) ut aeque impossibile sit concipere, Deum non agere, quam Deum non esse. Jam in natura (Deo, substantia) philosopho teste[49]) datur potentia cogitandi, ex quo sequitur, attributum cogitationis nil esse aliud, nisi unam ex viribus vel facultatibus, ex quarum summa potentia (substantia) omnino absoluta consistat. Quod idem valet de potentia sese extendendi vel de extensionis attributo et consequenter de omnibus aliis infinite multis substantiae attributis. Id igitur attributa inter se commune habent, ut omnia pertineant essentialiter ad substantiam, vel ut uni substantiae sint consubstantialia; per id vero discernuntur, quod diversos actus actuosae absolute substantiae exequuntur. Est in attri-

[46]) Eth. II. prop. 7. schol.
[47]) Eth. I. prop. 34.
[48]) Eth. II. prop. 3. scholion.
[49]) ep. 15.

butis substantiae unitas, actionis vero diversitas. Sit nobis substantia vel actuosa absolute potentia = P, attributum cogitationis = c, extensionis = e, attributa alia innumera = x; jam hac formula unitatem et diversitatem attributorum nobis ob oculos ponere possumus:

$$Pc + Pe + Px = P.$$

In singulis attributis est et agit P, et in hoc conveniunt, at in singulis diversimode agit P, et in hoc discrepant.

33.

Jam igitur ex iis, quae supra disputata sunt, sequuntur haec: Attributa substantiae habent realitatem objectivam extra intellectum ac vere ad substantiae essentiam pertinent. Substantia relate ad attributa ita se habet, ut ex iis constet. Attributorum igitur summa haud discrepat a substantia ipsa. Attributorum numerus est infinitus, ergo substantia quoque est infinita. Attributa sunt substantiae coaeterna et unumquodque eorum est infinitum, sed in suo genere. Intellectus humanus ex infinita attributorum multitudine duo tantum percipit, extensionem scilicet et cogitationem, utramque realiter in substantia existentem et ad ejus essentiam pertinentem. Attributa essentialiter non sunt distincta, una enim tantum datur substantia; singula vero suo agendi genere vel sua facultate discernuntur. Quandoquidem attributorum summa aequalis est ipsi substantiae, quae est Esse actuosum, substantia, sive omnia ejus attributa constituunt naturam naturantem, i. e. infinitam facultatum multitudinem, e quibus actuosa Dei potentia, sive Deus consistit; id vero, quod praeter substantiam ejusque attributa existit, i. e. substantiae, sive attributorum ejus modificationes, vel affectiones, sub nomine naturae naturatae comprehenditur, nam praeter substantiam et modificationes ejus nihil datur. —

II.

De Esse actuali modorum substantiae, sive naturae naturatae.

1.

Proposita naturae naturantis notione tali, qualis ex ipsa Spinoza doctrina repetenda erat, jam ad alteram disputationis partem, in qua de natura naturata sermo est instituendus, progrediamur. Neque hic refutandi officio parcendum est, siquidem praeter alias maxime Jacobius et Hegelius et illi, qui hujus vestigia premunt, gravissimam notam Spinozano systemati intulerunt, quam objectionem acosmismi appellare liceat. De qua priusquam pluribus disseram, ipsius philosophi definitio, quam de natura naturata proposuit, perspicuitatis ergo repetenda videtur esse.

Igitur Spinoza,[1] „per naturam naturatam", inquit, „intelligo id omne, quod ex necessitate Dei naturae, sive uniuscujusque Dei attributorum sequitur; hoc est, omnes Dei attributorum modos, quatenus considerantur ut res, quae in Deo sunt, et quae sine Deo nec esse nec concipi possunt."

Quae naturae naturatae definitio, quamvis satis perspicua esse videatur, mirum quantum dissensionis inter doctos excitaverit. In eo vero conveniunt omnes, quod per naturam naturatam summa omnium modorum intelligenda sit, ita, ut omnes modi, etiam illi, quos philosophus infinitos et necessarios vocat, naturam naturatam constituant.

2.

At gravissima quaestio exorta est de rerum particularium vel singularium Esse actuali, quum nimirum nonnulli contenderent, Spinozam res in mundo occurrentes per apotheosim quandam ad ipsius deitatis dignitatem elevasse, alii contra, quos

[1]) Eth. I. prop. 29. schol.

inter Hegelius quoque est, philosophum res in mundo existentes omnino negare et acosmismum professum esse dicerent. Ac de illa quidem rerum mundanarum apotheosi loqui hic non est necessarium, quandoquidem in ultima hujus dissertationis parte de relatione, quae inter naturam utramque intercedat, accuratius sermo erit instituendus; hanc vero acosmismi objectionem paulo diligentius excutiamus, quippe quae naturae naturatae, de qua jam loquor, notionem longe aliam reddit, quam illa est, quae a Spinoza ipso, nisi egregie fallor, proposita est.

Neminem praeterea fugere potest ingens illa mutatio, quam acosmismi nota, nisi amoveatur, universo systemati Spinozano necessario infert. Ac nostra quidem aetate illam Hegelii sententiam praeter alios strenue admodum ac diligenter tueri conatus est Erdmannus, cujus argumenta, quibus illam sententiam sustinet, accuratius jam consideranda sunt.

3.

Igitur Erdmannus, res particulares, inquit, si per eas intelligantur res singulariter ac pro se actu existentes, secundum Spinozae sententiam omnino non admittuntur. Namque modi, teste philosopho, in alio sunt, unde sequitur, tunc tantum res particulares posse admitti, si id tollatur, quod ad modorum naturam pertineat, id nimirum, ut in alio sint, per quod etiam concipi debeant. Atqui illam considerandi rationem, qua vera modorum natura tollatur, e Spinozae sententia esse imaginationem, ergo res particulares tantum in imaginatione, non vero actualiter extra eam esse. Neque exemplo Erdmannus pepercit, quod idem a Schweglero adhibitum est. Substantia, auctore Erdmanno, ad modos eadem ratione sese habet, atque Oceanus ad singulas undas, continuo mutatas et evanescentes: eodemque pacto quo frigus undas sua natura quasi spoliat, et eas in glebas glaciales diutius durantes condensat, imaginatio modos in substantia existentes quasi extra eam esse jubet, resque particulares ac pro se existentes format; adeoque res particulares, qua particulares dicuntur, ex falsa perceptione oriuntur. Et quia omnia absque imaginatione considerari debent, ut revera sunt, res particulares omnino non existunt actualiter, et Spinozae systema merito acosmismus appellandus est.

4.

Jam videamus, an sententiae modo prolatae, in quam praeter alios Schweglerus quoque abiit, omni ex parte assentiendum esse concedamus. Atque imprimis quidem unusquisque facile dixerit, Erdmannum recte omnino contendisse, res particulares, si absque cohaerentia et relatione inter se considerentur, ac separatae ab invicem et ex generali connexu avulsae proponantur, e falsa imaginationis perceptione oriri. Quis enim, modo recte sapiat, eo erroris pervenire possit, ut in rerum natura causalitatem et relationem negare velit? Unde etiam plurimis locis Spinoza eos corripit et vituperat, qui imaginatione sua utantur ad considerandas res quasi extra relationem mutuam et nexum causalem pro se existentes, quum potius eas nos considerare oporteat adhibito intellectu, et imaginatione quam fieri possit longissime relegata. Praeclarum locum ex ipsa Ethica affere haud alienum a proposito arbitror. „Res," inquit philosophus[2]), „ut actuales, duobus modis a nobis concipiuntur, vel quatenus easdem cum relatione ad certum tempus et locum existere, vel quatenus ipsas in Deo contineri et ex naturae divinae necessitate consequi concipimus. Quae autem hoc secundo modo ut verae seu reales concipiuntur, eas sub aeternitatis specie concipimus, et earum ideae aeternam et infinitam Dei essentiam involvunt."

Qua in re omnes, ni fallor, Spinozae suffragari debent, quorum interest, ad veram et adaequatam rerum cognitionem pervenire. Namque eo differt humana ratio res considerandi a sensuali brutorum perceptione, ut res non ut separatas et quasi sparsim ac fortuito existentes consideret, sed potius ut in rerum causas inquirat, et de relatione et cohaerentia omnium meditetur. Atque per id ipsum, quod Spinoza multus est in flagitando, ut res ratione, non vero imaginatione concipiantur, singularis quaedam et ingenuo homine vere digna majestas universo illius systemati accedere videtur. Huc pertinet id, quod pluries inculcat philosophus, nimirum res sub quadam aeternitatis[3]) specie esse considerandas, vel tertio co-

[2]) Eth. V. prop. 29, schol.

[3]) Eth. V. prop. 29 in dem..et saepius. Eth. V. prop. 30, prop. 31 in schol.

gnitionis genere percipiendas[4]); quibus adde ea, quae de amore Dei intellectuali egregie docuit, quae, quia non sunt hujus loci, in posterum sunt servanda. —

5.

Jam non video, quonam pacto fieri possit, ut ex illa Spinozae doctrina de rebus non per imaginationem considerandis concludatur, philosophum aut a veritate recessisse, aut acosmismum professum esse. Quodsi per notionem acosmismi ea sententia intelligitur, qua dicitur, res particulares, relate ad earum existentiam in tempore et loco, esse mutabiles, tunc certe acosmismum Spinoza docuit, quin ullatenus a vero aberraverit. Si vero contenditur, Spinozae acosmismum mundum, i. e. res singulares, omnino negare, non possum, quin eos, qui hujus sententiae Spinozam arguunt, erroris reos faciam. Quod ut statim aggrediar, Spinozae doctrina de modis, quorum summa naturam naturatam constituit, accuratius paulo explicanda est. —

6.

Imprimis igitur Spinozam mundum haudquaquam negasse, sed rerum particularium actualem et extra imaginationem positam existentiam docuisse affirmo. Nam ut illud hic sermone tantum perstringam, quo philosophus haud semel dixit, „realiter vel extra intellectum" nihil existere praeter substantiam „ejusque affectiones," actualis rerum particularium existentia ex ipsa Dei notione quam maxime perspicue patet. Si enim philosophus Deum *τὸ* Esse actuosum definit — quod jam antea allatis locis demonstratum est, nemo jam poterit negare, actuositatem Dei actualiter existentes effectus habere debere, quod quidem luculentissime patet ex eo, quo docet[5]), Dei omnipotentiam actu ab aeterno fuisse, et in aeternum in eadem actualitate esse mansuram. Jam Deum, sive substantiam, realitatem habere per se patet, atque eodem modo certum est, realem actuositatem substantiae non posse efficere aliquid,

---

[4]) Eth. V. prop. 27 (in dem.), prop. 25, 26, 28. Eth. II. prop. 40 in schol. II.

[5]) Eth I. prop. 17 in schol.

quod tantum in imaginatione humana sit positum. Quodsi rebus particularibus particularitatem — ut invito Cicerone hoc vocabulo utar — demas, substantiae non quidem existentiam, at certe actuositatem negas, siquidem, nisi substantia per suam actuositatem per infinitos modos sese explicet, iners jacebit et pigra, omnesque facultates potentialiter habebit, quin actualiter eas evolvat, quod quidem est contra Spinozae doctrinam de Esse actuoso. —

7.

At si objicitur, — quod pluries factum est — Deum non esse efficientem causam modorum, sed eorum substratum, ipsum Spinozam audiamus, qui expressis verbis[6]) Deum rerum omnium causam efficientem, causam per se, non per accidens, causam absolute primam, causam liberam, causam denique non remotam haud uno loco appellat. Quid porro magis perspicue dici potuit, quam id, quo Spinoza contendit, Deum causam esse non tantum ut res incipiant existere, sed etiam ut in existendo perseverent, sive Deum esse causam essendi rerum? quod quidem apertissime illa propositione docet, qua dixit, Deum non tantum esse causam efficientem rerum existentiae, sed etiam essentiae. Quibus locis adde, si placet, sententiam illam, qua affirmat[7]), cujuscumque attributi modos, i. e. res particulares[8]), Deum pro causa habere, cui sententiae accedat alia[9]), qua Deum causam unicam, causamque non solum secundum fieri, sed etiam secundum Esse denuo Spinoza urget. Et, si aperte profitetur[10]), Deum „singularium rerum esse causam,“ nullum jam dubium existere potest neque de eo, quod Deus rerum omnium sit causa, neque de eo, quod sit causa variarum formarum, quibus singularium rerum discrimen inter se, vel particularitas, vel singularitas constituitur. Unde patet, etiam τὸ pro se Esse uniuscujusque rei, quo exempli gratia sol a luna distinguitur, et aquila a leone, non tantum

---

[6]) Eth. I. prop. 16, prop. 25, prop. 24, prop. 28 (schol.), prop. 17.
[7]) Eth. II. prop. 6.
[8]) Eth. I. prop. 25, coroll.
[9]) Eth. II. prop. 10 in schol: ad coroll.
[10]) Eth. II. prop. 45 in dem.

esse in imaginatione, sed Deum pro causa habere, et existentiam objective actualem extra imaginationem jure sibi vindicare. Hanc vero causalitatem ideo tam vehementer urgeo, quia, hac data atque argumentis stabilita facilius mihi negotium erit in ostendenda relatione inter naturam utramque intercedente, qua de re in tertia hujus dissertationis parte acturus sum.

8.

Porro quandoquidem causa cum effectu suo vinculo arctissimo cohaeret, fieri omnino non potest, ut illa, scilicet substantia, per intellectum concipiatur, hic vero, de effectu loquor, tantum in imaginatione sit. Praeterea substantiae attributa, ut supra demonstratum est, habent realitatem objectivam; atqui modi, vel, ut ipse Spinoza dicit, res particulares nihil sunt, nisi affectiones attributorum[11]), quibus Dei attributa certo et determinato modo exprimuntur; ergo modis quoque Esse actuale vindicandum est, et fieri non potest, ut tantum in humana imaginatione esse dicantur.

9.

Quibus argumentis plurima alia accedunt, actualem modorum existentiam luce clarius demonstrantia. Nam si Spinoza loquitur[12]) de modificationibus non existentibus actu extra intellectum, simul oppositum indicat, et a fortiori modificationes actu extra intellectum existentes statuit. Quod vero actualem extra intellectum habet existentiam, id hercule non in imaginatione esse potest.

10.

Neque quae ex necessitate Divinae naturae sequuntur — quod quidem, auctore Spinoza, de omnibus rebus valet[13]) — in imaginatione esse possunt, quia quod ex natura Dei, entis absolute infiniti et consequenter realissimi sequitur, non potest humanae imaginationis phantasma esse.

---

[11]) Eth. I. prop. 25, coroll.
[12]) Eth. I. prop. 8, schol. II. Eth. II. prop. 8.
[13]) Eth. I. prop. 17, schol et saepe.

11.

Neque hic aliquis mihi dicat, rerum substantiam esse quidem realem, at earum diversitatem, singularumque inter se discrimen utique in imaginatione esse. Cui respondeo, ipsam modorum infinitatem[14]), i. e. innumerabilem multitudinem e philosophi sententia necessario ex Dei natura sequi et consequenter id ipsum, quod res ab invicem discernat et rerum particularitatem constituat, necessario ex Dei natura sequi, et extra imaginationem actu existere. Ipsum igitur particularium rerum principium particularitatis, sive, ut alio modo id exprimam, singularium rerum haecceitas Divina est natura, non vero imaginatio humana. Quae quum ipsa nihil aliud sit, nisi modus vel res particularis, ad naturam naturatam pertinens, intelligi haud potest, quomodo integra natura naturata, i. e. particularium rerum summa, derivari queat ex re, quae ipsa ad naturam naturatam pertinet.

12.

Jam quamvis satis perspicue me ex ipsis Spinozae propositionibus demonstrasse existimem, res particulares, vel quatenus inter se distinctae sint ac diversimode formatae, actu existere et haudquaquam ex humana imaginatione originem suam ducere, tamen, ne quid omittatur, quod ad rem accuratissime proponendam quadamtenus conducere possit, nonnulla adhuc argumenta, ex ipsis Spinozae verbis repetita in medium afferam. Qui quidem affirmat[15]), quidquid concipiamus in Dei potestate esse, id necessario existere. Jam sine dubio concipimus, in Dei absoluta potentia positam esse facultatem semetipsum per modos innumerabiles explicandi. Atqui praeter omnipotentem Dei actualitatem — de qua supra pluribus dixi — ipsa infinitae multitudinis notio efflagitat, ut modi sint diversimode formati et separati ab invicem et pro se singuli — quatenus sunt modi — existentes; ergo modi singuli inter se distincti non tantum in imaginatione sed actualiter existunt.

---

[14]) Eth. I. prop. 16 etc.
[15]) Eth. I. prop. 35.

13.

Neque id silentio praeterire possum, quod tamen sermone tantum perstringam, quo philosophus expressis verbis de idea rei alicujus „singularis" actu existentis loquitur[16]. Quibus ex verbis absque ulla controversia evinci potest modorum Esse actuale extra imaginationem. Nam si res „singularis" actu existit, non solum actualiter existit, quatenus relationem habet ad substantiam, sed etiam actualiter existit, quatenus formam quamcumque exteriorem repraesentat, per quam ab alia re singulari discernitur ita, ut pro se existat, ac jure res singularis queat appellari. Atque hoc sequitur ex ipsa rei singularis definitione, qualis apud Spinozam invenitur[17], nempe per res singulares intelligendas esse res, quae finitae sint et determinatam habeant existentiam. Unde sequitur, rem singularem, exempli gratia aquilam, actu et extra imaginationem existere non solum, quatenus ad substantiam referatur, sed etiam quatenus finitam et determinatam habeat existentiam. Nam si in aquila id tantum spectamus, quod ejus relationem ad substantiam constituit, aquilam non jam ut rem singularem, sed sub specie aeternitatis consideramus, — qua de re infra accuratius disseram — at si aquilam ut rem finitam et determinatam consideramus, necessario illas aquilae proprietates spectamus, per quas pro se existit, et quibus a struthione et a fringilla discernitur. Atqui ipsum hoc finitum et determinatum Esse, haecque figurae ejus diversitas a figura fringillae efficit, ut aquila sit res singularis, ac porro res singulares, teste philosopho, actu existunt, ergo omnia, quae in mundo occurrunt, non solum, quatenus ad substantiam referuntur, sed etiam, quatenus discriminatim existunt, variasque formas repraesentant, actu et extra imaginationem existunt. Denique si philosophus differentiam inter singulares res statuit[18], quam positam esse affirmat in majore vel minore gradu realitatis, quam contineant, vix jam aliquis contendere poterit, res singulares tantum in imaginatione esse. Imo ipsi naturae naturantis et naturatae termini naturatae realitatem indicant, siquidem terminus „na-

[16]) Eth. II. prop. 11.
[17]) Eth. II. def. 7.
[18]) Eth. II. prop. 13, schol.

turans“, in participio activi praesentis positus, eodem pacto absque reali objecto naturato cogitari nequit, quo vincentem absque victo, amantem sine amato concipere haud valemus.

14.

His satis perspicue rem, de qua agebatur, me demonstrasse et locis ex ipsa Spinozae Ethica depromptis munivisse mihi videor. Mirum est, quod viri docti, qui altera quidem ex parte jure merito efflagitant, ut ipsorum opera atque sententiae ad critices, ut vocant, intrinsecae tantum periculum vocentur, ipsi tamen ex parte altera maximorum systemata philosophorum extrinseca critica adeant. Neque enim justum est, neque scientiarum incremento favere videtur, si neglecta hac intrinseca critica in tractandis auctoribus extrinseca adhibeatur. Non enim id poscitur, ut systema aliquod subjectivo unius alteriusve arbitrio subjiciatur, et aliis ita proponatur, ut nil habeant, nisi aut critici et interpretis subjectivas sententias, systemati vi obtrusas, aut, quod pejus est, distortam ad interpretis libitum et mutatam alius philosophi doctrinam, sed id potius agendum est, ut salva objectiva veritate aliorum systemata ita ob oculos ponantur, ut, quid auctor ipse voluerit et dixerit, omnibus perspicue patefiat. Atque illo extrinsecae criticae fato nunquam satis reprobando nescio an alii magis laborent, quam Plato et Spinoza, qui, quo sunt illustriores, eo magis objectivo modo explicari et tractari debebant. Quis enim Platonis studiosus nesciat, philosophi ontologicum objectivismum saepe jam ita explicatum esse, ut in Hegelianismum mutatus sit? Itidem Spinoza, cujus universum systema dogmatici objectivismi genium prae se fert, quot sententiae a philosophis nescio quibus repetitae pro interpretum libitu illi imputantur! Sed de his satis.

15.

Postquam ostendi, ipsam rerum singularium singularitatem vel particularitatem auctore Spinoza actu extra humanam imaginationem existere, vel, ut rem aliter proponam, naturam naturatam objectivum Esse habere, neque originem suam ex imaginatione repetere, jam quaerendum est, quomodo philosophus naturam naturatam considerari voluerit.

Igitur duplicem modum eam considerandi Spinoza statuit,

quorum alter in imaginatione, alter in intellectu positus est. Atque illum quidem, qui per imaginationem fit, philosophus reprobat, hunc, qui ab intellectu procedit, summopere commendat. Porro consideratio naturae naturatae per imaginationem falsa est et inadaequata et a vera cognitione quam longissime remota; ea vero, quae per intellectum fit, ad adaequatam cognitionem essentiae rerum atque adeo ipsius substantiae ducit. Et imaginatione quidem res consideramus ita, ut opinemur, nullum nexum causalem inter eas esse, et ut acquiescamus in eo, ut credamus, infinitam rerum varietatem non ad unum principium esse reducendam. Quae imaginationis actio merito a philosopho rejicitur, quippe qua id, quod modali differentia, quamvis actualiter existente discernitur, quasi absolutum putatur, et in se ac per se existens. Rem exemplo quodam illustrare juvat. Ponamus solem, terram, oceanum, rosam, leonem et corpus humanum. Quae quidem omnia actu existunt, nec tantum in humana imaginatione sunt, ut supra fatis manifeste me demonstrasse existimo. Jam si in variis illis rebus considerandis imaginationem adhibemus, credimus, solem nullatenus cohaerere cum rosa, nec rosam cum leone et sic porro, ita quidem, ut unicuique rei separatam omnino et ex generali causalitate avulsam existentiam, relationis omnis expertem vindicemus. Quae res considerandi ratio inadaequata admodum et superficialis est, et ipsam modi notionem omnino tollit, singulis rebus Esse quasi hypostaticum tribuens. Contra intellectus res illas singulares haudquaquam negat — neque enim substantiae modificationes ab intellectu, neque ab imaginatione pendent — sed solem, rosam, hominem etc. concipit ita, ut cognoscat, omnia illa esse affectiones actu existentes attributorum substantiae, adeoque omnia ad substantiam, utpote ad commune principium et causam rerum immanentem esse referenda.

Et de hac ratione, naturam naturatam considerandi jam aliquantulum accuratius disserendum est, atque ostendendum, quid ipse Spinoza de hac adaequata et vera modorum consideratione judicaverit.

16.

Atque imprimis quidem inadaequata illa per imaginationem consideratio sexcenties a philosopho reprobatur, quum nimi-

rum dicat, omnia in Deo esse[19]), vel modos sine substantia nec esse, nec concipi posse[20]), vel rem, quae extra Deum in se sit, dari non posse[21]), et quae ejusdem generis apud illum saepissime occurrunt. Huc quoque pertinet illud, quo docet philosophus[22]), corpora ratione motus et quietis, alacritatis et tarditatis, et non ratione substantiae ab invicem distingui; unde quidem quam clarissime patet, quemnam res considerandi modum Spinoza adhibendum esse censeat. Nimirum omnia particularia ad substantiam, utpote ad primum et unicum omnium principium per intellectum vult referri, quo in considerationis genere commendando plurimus est et indefessus. Liceat mihi hic integrum e Spinozae ethica locum afferre, qui et exemplo rem illustrat, et differentiam illam, imaginationem inter et intellectum existentem pellucide admodum et accurate proponit. Igitur philosophus[23]), postquam substantiae corporeae, i. e. materiae, quatenus sit substantia, unitatem eo maxime ostendit, quod nullum in natura vacuum existat, ita pergit: „Quantitas duobus modis a nobis concipitur, abstracte scilicet, sive superficialiter, prout nempe ipsam imaginamur, vel ut substantia, quod a solo intellectu fit. Si itaque ad quantitatem attendimus, prout in imaginatione est, quod saepe et facilius a nobis fit, reperietur finita, divisibilis, et ex partibus conflata; si autem ad ipsam, prout in intellectu est, attendimus, et eam, quatenus substantia est, concipimus, quod difficillime fit, tum, ut jam satis demonstravimus, infinita, unica, et indivisibilis reperietur. Quod omnibus, qui inter imaginationem et intellectum distinguere sciverint, satis manifestum erit. Praecipue si ad hoc etiam attendatur, quod materia ubique eadem est, nec partes in eadem distinguuntur, nisi quatenus materiam diversimode affectam esse concipimus, unde ejus partes modaliter tantum distinguuntur, non autem realiter[24]). Ex. gr. aquam, quatenus

---

[19]) Eth. I. prop. 17 et saepissime.

[20]) Eth. I. prop. 15 in dem.

[21]) Eth. I. prop. 18 in dem.

[22]) Eth. II. lemma 1.

[23]) Eth. I. prop. 15 in schol.

[24]) Terminus „realiter“ termino „modaliter“ oppositus explicatione quadam indiget, ne Spinoza, qui rerum particularium, seu modorum actualem existentiam toties contendit — ut supra vidimus, sibi non constitisse vide-

aqua est, dividi concipimus, ejusque partes ab invicem separari; at non, quatenus substantia est corporea; eatenus enim neque separatur, neque dividitur. Porro aqua, quatenus aqua, generatur et corrumpitur, at quatenus substantia, nec generatur, nec corrumpitur."

17.

Adaequata igitur rerum cognitio nunquam acquiri potest adhibita imaginatione, sed tantum, si intellectualiter eas consideramus. Quod philosophus disertis verbis haud uno loco docet, quum dicat, a sola imaginatione pendere[25]), quod res tam respectu praeteriti quam futuri ut contingentes — adeoque inadaequate — contemplemur, quum tamen rationis sive intellectus sit, et haudquaquam imaginationis, eas sub aeternitatis specie percipere[26]). Nam in rerum natura, testante id multoties philosopho, nullum datur contingens[27]), sed omnia ex necessitate Divinae naturae infinitis modis sequuntur[28]). Quod quidem ab imaginatione non percipitur, sed tantum per actionem intellectus concipi potest, in cujus natura positum est, ut res non ut contingentes, sed ut necessarias contempletur, quandoquidem rerum necessitas ipsa Dei aeternae naturae necessitas est[29]). Quod si probe intellexerimus, jam illud considerationis rerum omnium culmen ac fastigium tenemus, quod tertium cognitionis genus Spinoza appellavit, quo singulares res, procul ab omni opinione imaginaria, non jam ut contingentes, sed ut necessario modo procedentes ex aeternae Dei naturae necessi-

atur. Igitur ex toto hoc loco patet, per terminum „realiter" hic nihil aliud significari, nisi „substantialiter vel essentialiter", omnesque res particulares nihil esse, nisi affectiones unius ejusdemque substantiae, ad quam per intellectum sint referendae. Nihilominus tamen, ut supra ex ipsis philosophi verbis demonstravi, modalis rerum differentia vere et extra imaginationem actualiter existit, cavendum vero, ne imaginatio per avulsionem rerum particularium a substantia, ut causa omnium immanente, illis essentialem differentiam ab hac tribuat. Si licet magnis componere parva et comparationem quantumvis claudicantem afferre, potes ex marmore varias figuras sculpere, ut Cereris, Minervae, Herculis, quarum singulae habent existentiam, ab existentia aliarum actu separatam, quin tamen substantialis, vel essentialis differentia inter illas intercedat.

[25]) Eth. II. prop. 44, coroll. I.

[26]) Eth. V. prop. 29 (dem.), prop. 30.

[27]) Eth. I. prop. 29.

[28]) Eth. I. prop. 16. 17.

[29]) Eth. II. prop. 44, dem ad coroll. II.

tate intelligimus, firmiter tenentes, res omnes, nulla excepta, in infinito illo nexu causali positas esse ita, ut universa modorum summa, seu natura naturata necessarius effectus actuosae substantiae, seu naturae naturantis sit. Et quia unaquaeque cujuscunque rei singularis actu existentis idea Dei aeternam et infinitam essentiam necessario involvit[30]), quo magis res singulares intelligimus, eo magis Deum intelligimus[31]), nam Deum cognoscere idem est, atque res tertio cognitionis genere intelligere[32]). Atque in hac intellectuali et adaequata rerum consideratione et summa mentis virtus[33]) posita est, et summa, quae dari potest, mentis acquiescentia ex ea oritur[34]), et per illam ad summum finem, homini propositum, et ad aeternam beatitudinem ducimur, quae in amore illo Dei intellectuali summum quasi triumphum agit[35]).

18.

Jam quia his perveni ad universi apicem Spinozismi, finem jam alteri hujus disputationis parti imponam. Ne vero in instituenda libelli dispositione mihi non satis constitisse videar, hic quoque, anacephalaeoseos gratia, quae sequuntur, subjicio. Vidimus igitur, ex ipsius philosophi sententia, modos, seu res particulares, ab invicem separatos existere, et modalem differentiam, inter singulos modos intercedentem, esse actualem et objective existentem, et haudquaquam in humana tantum imaginatione repositam. Itaque acosmismi crimen adversas Spinozismum prolatum, irritum est et omni veritatis fundamento caret. Porro vidimus, naturam naturatam non debere considerari per imaginationem, qua nexus causalis inter utramque naturam et rerum omnium consubstantialitas penitus tollatur, sed per intellectum, qui omnia ad substantiam, ut ad unicam omnium causam referens, adeoque cuncta sub aeternitatis specie concipiens, solus adaequatam rerum cognitionem acquirere valeat. —

30) Eth. II. prop. 45.

31) Eth. V. prop. 24.

32) Eth. V. prop. 27.

33) Eth. V. prop. 25.

34) Eth. V. prop. 27.

35) Eth. V. prop. 32 (coroll.), prop. 33, prop. 34 (coroll.), prop. 35, prop. 36 et coroll et schol. ad hanc prop., prop. 26. 28. 29. 30. 31 (schol.) 37. 38. 42 (et in dem. et schol. ad hanc prop.).

III.

De relatione, quae inter naturam naturantem et naturam naturatam intercedat.

1.

Restat, ut pro consilio et ordine hujus libelli de mutua relatione loquar, quae de Spinozae sententia inter utramque naturam intercedat. Et ut aliis terminis utar, quaerendum jam est, quomodo mundus et visibilis et intelligibilis sese ad substantiam vel ad Deum habeat. Cui quaestioni non est, quod diu immoremur, modo eorum recordari velimus, quae supra de causalitate dicta sunt.

Atque id imprimis facile quivis concedet, creatianismo nullum plane apud Spinozam locum esse posse. Qui quum doceat[1]) Deum esse rerum omnium causam immanentem, non vero transeuntem[2]), creationem, quae quidem ut actus deitatis personalis in tempore vel una cum tempore factus intelligitur, jam non admittere potest. Nam per doctrinam immanentiae excluditur, ut per se patet, deitatis et personalitas et extramundanitas, ita, ut secundum Spinozam mundus habendus sit aeternus, et quidem, ut dicunt, aeternus a parte ante et a parte post. Quod quum ex plurimis aliis locis, tum ex eo vel maxime apparet, quo philosophus docet[3]), omnia necessario ex summa Dei potentia sive infinita natura sequi, et eodem quidem modo sequi, quo ex natura trianguli ab aeterno et in aeternum sequatur, ejus tres angulos aequari duobus rectis. Quare Dei omnipotentiam actu ab aeterno fuisse, et in aeternum in eadem actualitate mansuram esse. Huc quoque per-

---

[1]) Eth. I. prop. 18.

[2]) Termino „transiens“ idem significatur, ac si dixisset philosophus „transscendens vel extramundanus vel essentialiter a mundo diversus,“ nec satis mirari possis, qui tandem factum sit, ut vel doctissimi viri terminum illum male ac perverse interpretati sint.

[3]) Eth. I. prop. 16 (schol.)

tinet illud sexcenties usurpatum, quo absolutum immanentismum indicat, quum contendat, omnia in Deo esse, nec minus illud Pauli Apostoli, a philosopho nonnunquam adhibitum, quo ille in Deo nos vivere et manere et esse docet, et illud etiam Johanneum[4]), libenter a Spinoza allatum, quo Apostolus, per hoc, inquit, cognoscimus, quod in Deo manemus et Deus manet in nobis etc. Unde sequitur, de philosophi sententia, immanentismum aperte profitentis, naturam naturatam, seu mundum, ad naturantem, sive Deum, haudquaquam se habere, ut creatum ad creatorem. Nec mirum, quod inde factum sit, ut in explicanda relatione, quam Spinoza inter utramque naturam statuerit, varii in varias sententias abierint.

2.

At vero etiam Sigwartius[5]), vir ille quidem de Spinoza caeterum optime meritus, singularem quendam defectum in philosophi doctrina de illa inter naturam utramque relatione inesse existimat. Contendit enim Sigwartius, Spinozismum doctrina quadam carere, qua ostendatur, quo tandem pacto infinita Dei potentia progressa sit ad actualitatem, vel quo modo τὸ non explicatum factum sit explicatum vel immediatum ad mediatum descenderit. Unde censet, apud Spinozam nullam, vel saltem nullam, quae sufficiat, mediationem inter utramque naturam statui, et in Schellingii et Hegelii sententiam pedibus it, quorum uterque propter illum Spinozani systematis defectum philosophi pantheismum rigidum et acerbum et, ut Hegelius dixit, eodem morbo laborantem contendit, quo Spinoza ipse conflictatus esset, quem phthisi mortuum esse scimus. Jam quod Schellingium et Hegelium attinet, hic non possum satis demirari, quomodo fieri potuerit, ut philosophum, cui, ut sciunt omnes, fere omnia debent, adeo injuriose tractarent. Adeoque de illis valet idem, quod Platonem in Aristotelem quondam adhibuisse narrat Diogenes Laërtius[6]); Platonem nimirum Aristotelis discipuli ingratum animum eo notasse, ut Aristotelem pullum esse adversus matrem recalcitrantem diceret. Sed haec missa facio.

---

[4]) Act. Apostol. cap. 17, v. 28. Joh. 1, cap. 4, v. 13.

[5]) Sigwart, der Spinozismus etc. Tübingen 1839. pag. 143 ff.

[6]) Diogenes Laërtius in vita Aristotelis.

3.

Igitur cum Schellingio, Hegelio, aliis, Sigwartius in Spinozismo vivam aliquam inter utramque naturam mediationem vel transitum vehementer desiderat. Atque hic imprimis id potissimum bene consideretur velim, quod in dijudicanda Spinozae doctrina longe alia amussi utendum sit, quam quae in examinandis aliorum dogmatibus adhiberi soleat. Nam per immanentismum, quem profitetur Spinoza, excluditur omnino quaestio de origine mundi et de essentiali differentia, quae primitus substantiam inter et mundum intercedat. Et mihi quidem satis perspicue philosophus, quid ipse de relatione inter utramque naturam sentiat, exposuisse videtur, quam sententiam jam quam brevissime proponam. Igitur substantia sive Deus est τὸ Esse actuosum, quod quidem in actualitate ab aeterno fuit, et in eadem actualitate in aeternum manebit. Substantia iners et ab agendo aliena, philosopho, ut supra vidimus, disertis verbis id testante, cogitari omnino non potest. Jam substantia omnino non differt a summa omnium ipsius attributorum, quorum numerus est immensus; adeoque singula substantiae attributa, ejus essentiam constituentia, ab aeterno et in aeternum actualitatem continuam exercent. Jam cogitationis et extensionis attributa, quae sola humano intellectui ex immensa illa substantiae attributorum multitudine sunt cognoscibilia, eodem plane pacto, atque reliqua omnia, in aeterna actualitate versantur. Itaque in natura naturante, sive in substantia vel in ejus attributis primo quidem infinita potentia est, ac deinde infinita et aeterna actualitas. Si quid vero habet potentiam infinitam et aeternam actualitatem, fieri omnino non potest, ut effectibus actuosae suae potentiae careat, nam actualitas absque effectibus cogitari nequit. Itaque substantia, quatenus sumitur ut res cogitans, per actuosam suam cogitandi potentiam explicat sese per ideas, seu singulos modos cogitandi ad infinitum intellectum, qui quidem pertinet ad modos necessarios et infinitos, siquidem omnium idearum est connexus. Pariter res sese habet cum relatione rerum extensarum vel corporearum ad substantiam. Quae si consideratur sub extensionis attributo, vel ut quantitas infinita, per actuosam suam sese extendendi potentiam explicat se per innumerabilia corpora, sive res particulares extensas, quorum connexus in modis

necessariis et infinitis motus et quietis positus est. Adeoque omnia, quae existunt, membra sunt immensi nexus causalis, et quidem ita, ut natura naturans (Deus, substantia, omnia substantiae attributa) sit causa naturae naturatae, sive omnium substantiae modificationum; unde patet, utramque naturam sese ad invicem ut effectum ad causam suam habere.

4.

At vero hic bene animadvertendum est, quod jam supra indicavi, substantiam causam omnium rerum immanentem esse, non vero extramundanam sive extrinsecus agentem. Unde patet, relationem, inter utramque naturam intercedentem secundum Spinozae immanentismum ita esse intelligendam, ut exclusa penitus omni essentiali heterogeneitate, utriusque naturae essentialis homogeneitas statuatur. Nam una eademque substantia est res cogitans et res extensa, et quaecunque in natura naturata existunt, ad illa duo momenta referenda sunt. Unde aperte Spinoza profitetur, res particulares nihil esse, nisi modificationes, quibus substantia sive cogitans sive extensa certo et determinato modo explicetur, ita quidem, ut modi, naturam naturatam constituentes, quatenus modi sint, oriantur et pereant, quatenus vero substantia sint, ab aeterno et in aeternum existant. Est igitur natura naturata ipsa substantia, quatenus in effectibus suis consideratur, natura vero naturans est substantia, quatenus in sua actuosa potentia concipitur. Et quemadmodum effectus cum causa in certa quadam unitatis relatione est, ita quoque natura naturata cum naturante est conjuncta, ac porro quemadmodum effectus a causa diversus est, ita quoque certum discrimen quoddam inter utramque naturam intercedit.

5.

Atque haec relatio inter naturam utramque egregie exprimi videtur per ipsos naturae naturantis et naturatae terminos, quos ideo felicissime Spinozam a scholasticis mutuo sumpsisse dixerim. Nam et naturae terminus utrique est communis, quo unitas utriusque indicatur, et terminus „naturans," cum termino „naturata" compositus, causam ejusque effectum, adeoque discrimen inter utramque naturam intercedens denotat.

6.

Jam ex iis, quae modo disputata sunt, luce meridiana clarius patet, illam quaestionem, qua inquiritur in id, quod Deum incitaverit ad mundum producendum, in Spinozismo explicando moveri omnino non posse. Longe autem maximam indignationem apud plurimos id provocavit, quod in Spinozae pantheismo doceatur, Deum nullum quasi stimulum habuisse, quo ad producendum mundum sit commotus. Contra alios, ex. gr. Platonem et Augustinum melius ac deitate dignius contendisse, deum mundum creasse vel ut Plato dixit, demiurgum primitivam materiam disposuisse et in ordinem harmonicum redegisse, incitante eum ad opus peragendum bonitate et quia invidia careret, et quae sunt hujus generis alia. Jam, ut supra indicavi, in Spinozismo frustra quaeritur finis, cujus appetens Deus mundum produxerit, nam, ut sciunt omnes, philosophus locis plurimis aperte docet, omnia ex infinita Dei natura, sive summa potentia cum absoluta necessitate sequi. — Quae quidem necessitas talis est, qualis in rebus mathematicis existit. Jam, quamvis exemplo omni ex parte adaequato necessaria illa inter utramque naturam relatio vix explicari possit, tamen et perspicuitatis gratia, et ut ipsam Spinozae, quam de hac quaestione habuit, sententiam intelligamus, exemplum aliquatenus saltem adaequatum afferam.

Ponamus igitur quadratum ABCD, cujus lineae diagonales secentur in puncto E. Jam ex ipsa quadrati natura cum inevitabili necessitate plurima sequuntur, ex. gr. id, quod lineae diagonales AC et DB sint inter se aequales, quod omnes diagonalium partes, per sectionem in puncto E ortae, quae sunt AE, EC, DE, EB pariter inter se aequales sint. Sequitur porro triangulos non solum DAB, ABC, BCD, ACD, verum etiam AEB, BEC, DEC, DEA inter se esse congruentes et esse omnes triangulos rectangulos. Ac praeterea multa ejusmodi ex quadrati natura sequuntur, quae hic non necesse est enumerare. Jam nemo non intelligit, eorum omnium, quae modo proposita sint, causam unicam esse quadrati naturam, et ex hac natura quadrati illa omnia cum absoluta necessitate sequi. Eodem plane pacto Spinoza ex absoluta substantiae natura omnia necessario sequi docet, ita quidem, ut ne una quidem res particularis aliter esse possit,

ac sese habeat; quemadmodum ex quadrati natura impossibile est, ut v. gr. trianguli ABC et ACD non sint rectanguli. Deinde omnia illa quadrati naturae propria ante haec decem annorum millia sine dubio eodem modo se habuerunt, quo hodie se habent et post eundem annorum numerum semper ita se habebunt. Porro omnia illa, quae e quadrati natura sequi vidimus, in quadrato sunt et extra quadratum omnino neque esse neque concipi possunt, quandoquidem ipsa quadrati natura illorum causa est immanens. Pari modo substantiae aeterna actualitas aeternos quoque habet effectus, neque quidquam concipi potest, quod non in substantia, ut in causa omnium rerum immanente sit. Cui adde, quod jure dici potest, quadrati essentiam per singulos illos naturae ejus effectus certo et determinato modo explicari vel manifestari. Ac simili quidem modo e sententia Spinozae natura naturans, sive Deus per naturam naturatam sive modificationes certo quodam et determinato modo exprimitur. Equidem Spinozae doctrinam de relatione inter naturam utramque intercedente hic defendere nolo, neque ejusmodi defensio ad hujus libelli propositum pertineret, qui totus in eo esse debet, ut philosophi doctrina recte ob oculos ponatur.

7.

Atque his rem, ut e Spinozae doctrina se habet, exposui. Quod vero id attinet, quod dicunt plurimi, per Spinozanam de utraque natura sententiam tolli omnes illas deitatis perfectiones, quae, quum sint praestantissimae, deitati prae ceteris via, ut ajunt, eminentiae sint vindicandae, ut v. gr. summus intellectus, perfectissima voluntas, justitia et reliquae virtutes, id sibi objectum iri Spinoza praesensise videtur, qui adversus ejusmodi objectiones jam in ipsa Ethica sese defendere conatus est. Locum integrum afferam, quo melius intelligatur, philosophum pro certo habuisse, suam de Deo sententiam adeo non reliquis esse humiliorem, ut eas potius dignitate superet. Igitur Spinoza[7]), „alii", inquit, „putant, Deum esse causam liberam, propterea quod potest, ut putant, efficere, ut ea, quae ex ejus

[7]) Eth I. prop. 17 in scholio.

natura sequi diximus, hoc est, quae in ejus potestate sunt, non fiant, sive ut ab ipso non producantur. Sed hoc idem est, ac si dicerent, quod Deus potest efficere, ut ex natura trianguli non sequatur, ejus tres angulos aequales esse duobus rectis, sive ut ex data causa non sequatur effectus, quod est absurdum. Porro infra absque ope hujus propositionis ostendam, ad Dei naturam neque intellectum, neque voluntatem pertinere. Scio equidem, plures esse, qui putent, se posse demonstrare, ad Dei naturam summum intellectum et liberam voluntatem pertinere; nihil enim perfectius cognoscere sese ajunt, quod Deo tribuere possunt, quam id, quod in nobis summa est perfectio. Porro, tametsi Deum actu summe intelligentem concipiant, non tamen credunt, eum posse omnia, quae actu intelligit, efficere, ut existant; nam se eo modo Dei potentiam destruere putant. Si omnia, inquiunt, quae in ejus intellectu sunt, creavisset, nihil tum amplius creare potuisset, quod credunt Dei omnipotentiae repugnare; ideoque maluerunt Deum ad omnia indifferentem statuere, nec aliud creantem praeter id, quod absoluta quadam voluntate decrevit creare. Verum ego me satis clare ostendisse puto (v. prop. 16) a summa Dei potentia, sive infinita natura infinita infinitis modis, hoc est, omnia necessario effluxisse, vel semper eadem necessitate sequi; eodem modo, ac ex natura trianguli ab aeterno et in aeternum sequitur, ejus tres angulos aequari duobus rectis. Quare Dei omnipotentia actu ab aeterno fuit, et in aeternum in eadem actualitate manebit. Et hoc modo Dei omnipotentia longe, meo quidem judicio, perfectior statuitur. Imo adversarii Dei omnipotentiam (liceat aperte loqui) negare videntur. Coguntur enim fateri, Deum infinita creabilia intelligere, quae tamen nunquam creare poterit. Nam alias, si scilicet omnia, quae intelligit, crearet, suam, juxta ipsos, exhauriret omnipotentiam et se imperfectum redderet. Ut igitur Deum perfectum statuant, eo rediguntur, ut simul statuere debeant, ipsum non posse omnia efficere, ad quae ejus potentia se extendit, quo absurdius, aut Dei omnipotentiae magis repugnans, non video, quid fingi possit.“ Hactenus philosophus.

8.

Ex iis, quae attuli, id saltem patet, philosophum id egisse, ut deitatis notionem, quam fieri posset maxime ab omni anthro-

popathismo et anthropomorphismo purgatam proponeret. Quod clarius adhuc intelligitur, si iis, quae modo allegata sunt, ea addas, quae in Ethices libri primi scholio ad propositionem decimam quintam Spinoza exposuit. Deinde, ut ingenue fatear, haud video, quo tandem jure dici possit, Spinozae doctrinam de utraque natura rationi minus convenire, quam illorum sententiam, qui dicant, mundum universum divinitus ex nihilo ante haec sex fere annorum millia (secundum Judaeorum, ni fallor, computationem) esse creatum. Sed, ut jam supra dixi, hujus libelli scopus in eo positus est, ut Spinozae doctrina sine praejudicio et praeoccupatis sententiis, quibus plurimi virum maximum tractare solent, procul ab omni ira et studio proponatur.

9.

Id autem silentio premere nullo modo possum, quod, meo quidem judicio, justus quisque et veritatis amans concedere debet, sententias, quas Hegelius et Schellingius de illa Spinozae doctrina de utraque natura tulerint, cum veritate nequaquam convenire. Quis enim illorum virorum sententiam ratam habeat, qua Spinozismum inexorabilis rigoris et saxeae, ut ait Hegelius, immobilitatis arguunt? Quod quidem Schellingius imagine adhibita accuratius explicare studuit, Spinozae doctrinam cum illa Pygmalionis statua comparans, cujus rigida immobilitas per amoris spiritum ad vitam evocanda erat. Jam quis in substantiae aeterna actuositate, infinitos effectus continuo habente vitam et quidem vitam maxime activam non agnoscat? Quis saxeum rigorem, quis Pygmalioneum marmor, amoris expers, illi doctrinae adscribat, cujus summum fastigium et culmen in amore Dei intellectuali positum est, ita ut totum Spinozae systema nihil aliud esse videatur, nisi via et institutio, qua homines ad illum amorem vere divinum et aeternum ducantur et erudiantur. Neque ego crediderim, posse existere hominem sanum ac non omnino barbarum, qui quintum Spinozanae Ethicae librum legere possit, quin vehementissime animo commoveatur et in verum philosophi rapiatur amorem. Sensit hoc praeter plurimos alios Schleiermacherus, sensit Jacobius — Spinozae caeterum adversarius, sensit, et, ut solet, facundissime exponit Cuno Fischerus.

10.

Sed ad finem properandum est. Igitur, ut tertiam quoque hujus dissertationis partem verbo comprehendam, natura naturans — Deus, substantia, omnia substantiae attributa — ad naturam naturatam — omnes substantiae attributorum modos, affectiones, mundum — ita sese habet, ut illa sit aeterna causa, haec aeternae causae aeternus effectus. Nec tamen natura naturans naturatae est causa transiens, — extramundana, transscendens, *ἐπέκεινα* mundi, personaliter pro se existens ac mundo quasi opposita, essentialiter vel substantialiter a natura naturata diversa — sed potius immanens, ita quidem, ut omnes res particulares in substantia sint, et extra eam nec concipi, neque existere possint; adeoque natura naturata est ipsa natura naturans, quatenus haec in suis effectibus consideratur.

VITA.

Natus est Waldemarus Hayduck Sundae Pomeranorum anno hujus saeculi trigesimo sexto die vigesima septima mensis Decembris, patre tribuno in re tormentaria regii Borussorum exercitus, matre Maria, e gente de Hesse. Pater ejus diem supremum obiit d. 19. Maji anni elapsi, matre gaudet superstite. Fidem profitetur evangelicam. Prima litterarum rudimenta approbavit in gymnasio Sundano, dein ab anno hujus saeculi quadragesimo sexto Sedinensis gymnasii disciplina usus, inde anno 1856 cum testimonio maturitatis ad universitatem Vratislaviensem sese contulit, cujus civibus ab Ill. V. Loewigio, tunc temporis academicos fasces tenente, adscriptus est.

Variis dein studiis tractatis, potissimum in universitate Vindobonensi, ad quam se contulerat ad audiendum Bonitzium, de Platone et Aristotele disputantem, gesto etiam paedagogi domestici munere in domo principum de Liechtenstein, nec non partibus praeceptoris litterarum Graecarum et Latinarum in superioribus gymnasii ordinibus per tres annos actis, jam in eo est, ut, summis in philosophia honoribus rite captis, totam in posterum vitam, superis bene faventibus in philosophia colenda collocet.

THESES.

1. Platonis Gorgias tempore, quo scriptus est, ejusdem Phaedrum antecedit.
2. Platonis argumenta pro animae immortalitate defectu laborant.
3. Cratyli Platonici consilium in eo tantum positum est, ut ostendatur, per etymologicas indagationes non posse perveniri ad adaequatam essentiae rerum cognitionem.
4. Errant, qui cum Steinhartio dicant, personas in Platonis libris de republica loquentes allegorice varias publici regiminis formas repraesentare.
5. *ἐπιστήμη ἐπιστήμης* apud Platonem non probatur.
6. Errant, qui Aristotelicum *τὸ τί ἦν εἶναι* ita intelligant, ut per *ἦν* illud essentiam primariam et aeternam ac singulari existentia priorem indicari existiment.
7. Scepsis Pyrrhonica philosopho indigna est, at dubium Cartesianum omni ex parte est commendandum.
8. Substantiae Spinozanae attributa habent realitatem extra intellectum.
9. Spinozae sententia, qua dicit, lapideitatem ad lapidem sese habere, ut intellectum ad intellectionem, non videtur esse probanda.
10. Humii philosophia est Pyrrhonismus.
11. Stoicorum cathecon ethice nihil valet.
12. Kantii imperativus categoricus non habet vim generaliter obligantem.
13. Primum argumentum, quo Kantius spatii aprioritatem ostendere voluit involvit circulum vitiosum.

14. Philosophia theologiae ancilla esse non debet.
15. Libertas philosophandi concessa plurimum prodest, coërcita vero maxima damna affert.
16. Errant, qui discrimen logicam inter et metaphysicam tollere volunt.
17. In concilianda ratione cum experientia summum philosophiae scopum positum esse existimo.
18. Sophocl. Oed. Col. v. 129 sequ. ita legendum esse arbitror:

... *παραμειβόμεσθ' ἀδέρκτως*
ἀφώνως ἀλόγων, τὸ τᾶς κ. τ. λ.

19. Errant, qui putent, in Sophocl. Antig. v. 834—839 (Dindorf) amphiboliam latere. Praeterea v. 836 legendum esse censeo: *καί σοι φθιμένᾳ . . . . κ. τ. λ.*
20. Plat. de republ. lib. I pag. 333 E. legendum videtur: *ἆρ' οὖν καὶ νόσον ὅστις δεινὸς φυλάξασθαι καὶ λαθεῖν, οὗτος δεινότατος καὶ ἐμποιῆσαι;*
21. Apud Sophoclem gestus corporis, ab histrionibus adhibendi accuratissime et aptissime ipsis tragoediarum verbis praescribuntur.
22. Parum recte Lessingius contendisse videtur, mulieres, ab Horatio in carminibus celebratas, esse tantum poëticas fictiones.
23. Dialogi de oratoribus Tacitum auctorem fuisse arbitror.
24. Linguae Latinae usus apud omnes universitatis facultates quam firmissime est retinendus.
25. Praeter philologica, historica, theologica seminaria, philosophica quoque in unaquaque universitate sunt instituenda et summopere fovenda et promovenda.